kartonnieren

Wissenschaftliche Beilage zum Programm der Achten Städtischen Höheren Bürgerschule zu Berlin. Ostern 1892.

De Antiphontis tetralogiis

scripsit

Fridericus Hausen.

BERLIN 1892.
R. Gaertners Verlagsbuchhandlung
Hermann Heyfelder.

1892. Programm No. 115.

Gib Sather

Quamquam multi iam viri docti nostrae aetatis Antiphontis Rhamnusii orationibus perscrutandis considerandisque diligenter operam navarunt summoque studio confecerunt, ut textum legamus ad artis criticae leges constitutum multisque librariorum erroribus liberatum, tamen adhuc extat tanta dissensio, ut fere omnia scripta, quae sub Rhamnusii nomine ad nos pervenerunt, utrum Antiphonti an alii cuidam tribuenda sint, dubitetur. Est autem haec quaestio valde intricata et multis difficultatibus impedita, quod non modo, quae grammatici et rhetores superiorum temporum de Antiphontis vita ac studiis memoriae tradiderunt, obscura paucaque sunt, sed etiam ex multis scriptis, quae ab Antiphonte composita sunt, minima pars nobis est servata. Post Blassii curam, qui omnium operum nomina, quae quidem ab aliis commemorata sunt, collegit disposuitque, non est, cur rem hoc loco pluribus exponam[1]).

Ut autem sententias, quas usque ad hoc tempus viri docti de servatis orationibus Antiphonteis protulerunt, paucis verbis complectar, Ruhnkenius[2]) et Maetznerus[3]) Antiphonti orationes illas omnes addicendas esse disertis verbis contenderunt, cum nonnullae a veteribus quibusdam lexicographis nominatim citentur, sed Maetznerus[4]) primam fortasse ab imitatore quodam scriptam esse concedit, quem Antiphontis vestigia ita persecutum esse statuit, ut ipsa similitudo, quae intercedat inter discipuli et magistri orationes, homines recentiores in eam opinionem adduxerit, ut eidem oratori et hanc et reliquas tribuerent orationes. Quorum in numero, qui orationem primam spuriam esse iudicaverunt, quod illius nusquam mentio fiat, referendi sunt Lehnerus[5]) et Spengelius[6]); sed hic postea opinionem suam reiecit[7]), cum summam inter eam et orationes de Herodis caede et de saltatore habitas dictionis similitudinem interesse constaret. Ab his viris Schoemannus[8]) dissentit, qui editionem Maetznerianam recensens non modo primam sed etiam tetralogias quae vocantur Antiphonti abiudicavit atque quintam tantum sextamque orationes genuinas arbitratus est. Quam sententiam obiter pronuntiatam certis argumentis confirmare Pahlius[9]), qui de textu orationum Antiphontearum recte constituendo optime meritus est, summo opere studuit.

---

1) Die attische Beredsamkeit, Leipzig 1887, I², p. 102 sq.
2) Dissertat. de Antiph. Lugd. Battav. 1765 cf. Reiskius, Oratt. graec. tom. VII, 785—830.
3) Antiph. oratt. Berol. 1838 praef. IV.
4) cf. praef. p. V.
5) Philologica cura. Monach. 1821.
6) *Συναγωγὴ τεχνῶν*. Stuttg. 1828 p. 118.
7) Rhein. Museum 1862. p. 167 Anm. 3.
8) Berl. Jahrb. für wiss. Kritik 1839 II, 482.
9) Die Reden des Antiphon. Jever 1860.

Quae cum professus esset, acerrimum virorum doctorum certamen exortum est Pahlii sententiam aut defendentium aut labefactantium. Adversarii eius extiterunt Hoppius[1]) et Wiedenhoferus[2]), qui omnibus Pahlii reiectis argumentis demonstrasse sibi videntur primam orationem Antiphonteam esse habendam; atque etiam Bothius[3]) uberius exponere conatus est tetralogias dignas esse, quas Antipho composuerit. Illos quidem optime totam de prima oratione quaestionem tractasse mihi persuasi, et, quamvis non omnia quae illi protulerunt probabilia sint, tamen orationem primam ab Antiphonte conscriptam esse satis apparet ea aetate, qua hic orator in eloquentiae tirociniis haerebat. Longe aliter sese habere existimo, quae Bothius pro certo adfirmat. Neque enim ille de tetralogiarum origine certis argumentis allatis demonstravit, utrum illae ab Antiphonte divulgatae sint necne, neque testimonia neque rem iudicialem penitius perspexit. Ita cum totius quaestionis fundamenta non satis firmiter iacta sint, non est mirum, quod nemini, quantum scio, commentatione sua aliqua ex parte probaverit tetralogias Antiphonti necessario tribuendas esse; sed de hac re adhuc lis sub iudice est.

De quinta autem et sexta orationibus, etiamsi ad hoc tempus nulla erat dubitatio inter viros doctos — omitto enumerare, quae Ionsius[4]) posteaque Schlosserus[5]) et Sluiterus[6]) strictim tantummodo censuerunt — tamen unus haesit Wagenerus[7]), qui orationem de saltatore habitam non dignam esse persuasum habet, quae Antiphonti substituatur. Neque vero possum adduci, ut ad Wageneri sententiam accedam, cum in perlegendo libello nemo non cognoscat neque ex causis prolatis, quae ad rem iudicialem et argumenti tractationem pertinent, neque ex sermonis singularitatibus ullam haesitationem contra originem genuinam et auctoritatem illius orationis derivari posse. Quibus perpensis id quidem sine ulla dubitatione adfirmare possumus orationem sextam Antiphontis esse[8]).

De tetralogiis autem, cum editor orationum Antiphontearum recentissimus Jernstedtius[9]) acerbissime in eos invehatur, qui illas oratiunculas a Rhamnusio abiudicaverint, neque temperare sibi possit, quin argumenta a Pahlio prolata puerilia iudicet — Jernstedtius ipse tetralogias genuinas existimat, quod frustra quaeras, ad quem oratorem sive rhetorem illud elocutionis genus magis conveniat quam ad eum qui si non fuit, at haberi potuit magister Thucydidis — nuperrime novae sententiae sunt promptae ab Herwerdeno[10]), cuius iudicium Dittenbergerus[11]) collaudavit. Quoniam hi viri doctissimi breviter tantum et quasi in transcursu illas opiniones pronuntiaverunt atque imprimis in animo habuerunt monstrare hanc materiam denuo retractandam[12]) esse, in

[1]) Antiphonteorum specimen. Halis Sax. 1874.

[2]) Antiphontis esse orationem, quam editiones exhibent primam, demonstratur. Vindob. 1884.

[3]) De Antiphontis Rhamnusii tetralogiis. Oldenburg. 1876.

[4]) De scriptor. hist. phil. IV, 325. Francf. 1659.

[5]) Universalgesch. Übersicht der Gesch. der a. W. I, 2 p. 261.

[6]) Lectiones Andoc. Lips. 1834 p. 60.

[7]) Revue de l'instruction publique en Belgique 1870 tome II p. 88 sq.

[8]) Optime Philippius de oratione iudicasse mihi videtur, qui conclusionem interpolatoris manu male corruptam esse putat. cf. Der Areopag und die Epheten. Berlin 1874 p. 32.

[9]) Petropoli 1880 praef. 39 Adn.

[10]) Mnemosyne N. S. IX, 200; similiter Cobetus iudicaverat, cf. Mnemosyne VIII, 278.

[11]) Hermes XVI, 321 Adn. 1.

[12]) Lugeo, quod Kohmii dissertationes (Ein Beitrag zur Frage über die Echtheit der Tetralogien des Redners Antiphon, I. Prag 1885, II. Hohenelbe 1886) postremo demum tempore inspicere poteram, cum haec disputatio iam esset perfecta.

animum induxi nonnulla de ea re proferre novisque argumentis eorum iudicium, quoad fieri potest, confirmare. Atque dissertationem, quam sum scripturus, ita instituam, ut ego quidem primum de virorum sententiis, qui tetralogias Antiphontis nomen optimo iure ferre contenderunt, inquiram et redarguam, deinde de ordine iudiciali, qui in illis oratiunculis deprehenditur, fusius disseram[1]). His igitur praemissis iam ad singula transire licet.

I.

Antiphontis scripta magis magisque in oblivionem venisse atque clarissimos illos qui eum secuti sunt oratores in deliciis habuisse veteres non esse mirum videtur, cum animo reputamus non modo tempora et mores sed etiam veterum iudicium paulatim commutatum moxque illud austerum dicendi genus neglectum esse quo usus est Antipho, quod obsoletis verbis et gravitate dictionis non raro obscuritates exhibuit hominibus recentioribus. Antiphontem autem suis temporibus non solum arte oratoria verum etiam multis aliis virtutibus maximam gloriam sibi paravisse ex Thucydidis[2]) verbis dilucide adparet. Quod posterioris aetatis critici non omnes consentiunt. Dionysius enim Halicarnassensis, qui eius mentionem facit, in universum laudibus dignum non putat, singula autem scripta neque percensuit neque nominatim enumeravit. Accuratius Caecilius Calactinus, qui Antiphontem primum decem oratorum Atticorum qui dicuntur nominat, eius orationes et dicendi rationem tractasse traditur, cum et magnum de omnibus decem oratoribus Atticis opus et singularem de Antiphonte disputationem composuerit[3]). Vehementer autem est dolendum ex illis iudiciis, quorum plurima tam accurata et subtilia extant, minutissima tantum fragmenta nobis relicta esse[4]). Atque etiam Hermogenes breviter tantum Antiphontis gravitatem laudat neque singulas orationes enumerat. Quamvis igitur haec iudicia ab illis sapientibus viris edita iure magni aestimentur neque ad Antiphontem recte diiudicandum neglegenda sint, tamen ex eis concludi non potest, utrum eae orationes, quae nunc Antiphontis nomen ferunt, genuinae sint necne. Maioris momenti ad hanc quaestionem disceptandam a grammaticis sive lexicographis veteribus singula verba ex orationibus excerpta sunt putanda. Etiamsi illos grammaticos in operibus componendis saepissime erravisse neque raro perversas minimeque inter se concinentes adnotationes ex singulis scriptis desumpsisse negari non potest, tamen credendum nobis est, donec sententia nostra aliis causis allatis refellatur, eos scriptorum libros, quorum nomina tradunt, oculis vidisse et perlegisse. Nonnulla vocabula, quae in tetralogiis extant, memoriae produntur ab Iulio Polluce, nomen autem tetralogiarum reticetur: Onom. II, 13 *γηραιός, ὡς Θουκυδίδης καὶ Ἀντιφῶν* (invenitur *Ββ* 11. *Γα* 2); Onom. II, 119 *ἀπολογήσασθαι· Ἀντιφῶν δὲ καὶ ἀπελογήθη* (*Αγ* 1; *δ* 3. *Βγ* 2. *Γγ* 1); Onom. VIII, 21 *ἐπιτίμημα καὶ ὡς Ἀντιφῶν ἐπιτίμιον* (*Γα* 4; 6; *β* 3; *δ* 7). Tum Harpocratio verba quaedam e tetralogiis hausit, cf. v. *ἀναγιγνωσκόμενος· ἀντὶ τοῦ ἀναπειθόμενος Ἀντιφῶν* (*Αβ* 7), v. *ἁγνεύετε τὴν πόλιν. Ἀντιφῶν ἐν τῷ β' ἀντὶ τοῦ*

---

[1]) De sermonis differentia, quae inter tetralogias atque orationes reliquas maximeque quintam intercedit, hoc loco agere non possum, ne modum talibus disputationibus usu statutum transeam.

[2]) cf. VIII, 68 *ἀνὴρ Ἀθηναίων τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀρετῇ τ' οὐδενὸς δεύτερος καὶ κράτιστος ἐνθυμηθῆναι γενόμενος καὶ ἃ γνοίη εἰπεῖν.*

[3]) Suid. s. v. *Καικίλιος.* Pseudoplutarch. V. A. p. 309 E.

[4]) Phot. p. 485 ed. Bekker.

ἁγνίζετε (*Aγ* 11), quae verba perspicuitate carent; fortasse Harpocratio scripserat *ἐν β' φονικῶν* sive *ἐν δευτερολογιῶν α'*[1]), ceterum codex Marcianus (L) omisit verba *ἐν τῷ β'*, ut facile coniectari possit aut interpolatorem quendam illa textui inseruisse aut librarium illa non intellegentem delevisse. Atque etiam in Anecdotis (I, 338 ed. Bekker) illa verba corrupta sunt, nam codices praebent lectionem: *ἁγνεύεται τὴν πόλιν. Ἀντιφῶν ἀντὶ τοῦ ἐκ κατηγορίας (ἀ)παρασήμου ἀντὶ τοῦ ἁγνίζεται.* Pro *ἁγνεύεται* verbo formam *ἁγνεύετε* scribendam esse adparet, itemque pro *ἁγνίζεται ἁγνίζετε;* nec aliter delenda sunt verba *ἀντὶ τοῦ* post *Ἀντιφῶν*, quae sine dubio oculorum errore nata sunt, et inserendum est fortasse inter verba *κατηγορίας* et (*ἀ*)-*παρασήμου* vocabulum *φόνου*, ut omnino lectio fiat: *Ἀντιφῶν ἐκ κατηγορίας φόνου ἀπαρασήμου ἀντὶ τοῦ ἁγνίζετε.* Neque vero praetermittendus est Ammonii locus, qui in libello de verborum differentia composito inspicit *ἐνθύμημα· ὁ γοῦν Ἀντιφῶν ἐν τοῖς φονικοῖς φησι, τεθνεὼς οὗτος ὑμῖν ἐνθύμιος γενήσεται* (*Aγ* 10). Eodem spectat Suidas, cf. v. *καταλαβεῖν· οἱ δὲ ῥήτορες καὶ ἐπὶ τοῦ κολάζειν· Ἀντιφῶν· μὴ ἀναίτιον καταλαβόντες τὸν αἴτιον* (*Aδ* 11); v. *ἀνήκει· Ἀντιφῶν ἀντὶ τοῦ καθήκει*[2]) (*Bγ* 7). Iam concludenda nobis est verborum series.

Inter eos viros qui haec vocabula maximi ponderis esse existimaverunt et inde statui posse tetralogias Antiphonti Rhamnusio tribuendas esse opinati sunt Maetznerus non ultimum locum obtinet. At rectissime Schoemannus[3]) illis lexicographis minimam fidem et auctoritatem adhibendam esse ideo monuit, quod persaepe artem criticam neglexerunt neque unquam fere id scriptum, ex quo verba exscripserunt, utrum genuinum an spurium, accuratius exquisiverunt. Atque re vera cum in aliis multis oratoribus commemorandis tum in Antiphonte laudando grammatici in maximos errores inciderunt. Ut igitur exemplum unum adferam, Harpocratio verbum *ἀναποδιζόμενα*[4]) Antiphontem Rhamnusium adhibuisse tradit in libello, qui *περὶ ἀληθείας* inscribitur, Pollux autem (Onom. II, 61) vocabula *ἀνάπηρα* et (Onom. VI, 143) *ἀπαρασκεύῳ* in eodem opusculo deprehendi narrat. Cum vero Hermogenes[5]) illum librum ab altero quodam Antiphonte compositum esse nos certiores fecerit, cui cognomen *τερατοσκόπος* vel *ὀνειροκρίτης* inditum erat, facile est intellectu, quam contraria et parum inter se concinentia haec testimonia sint, quamquam Harpocratio cum multarum Antiphontis orationum nomina tetigerit, quae aliter sempiterna oblivione essent deleta, illas ipse penitius perspexisse videtur[6]). Contra Pollux singula Antiphontis scripta vix perlegit aut omnino cognovit, sed ex memoria, ut illi in mentem venit, sine dubitatione enumeravit; neque enim aliam orationem nominatim adfert nisi libellum, qui *περὶ ἀληθείας* vocatur. Ac profecto quidem iam illis viris difficile erat diiudicatu, quae scripta Antiphonti Rhamnusio addicenda essent; nam Antiphontis nomen apud Athenienses non adeo rarum fuisse constat, cum etiam in titulis Atticis illius et paulo inferioris aetatis saepius inveniatur[7]). Saepenumero lexicographos coniecturas protulisse manifestum est ex Caecilii Calactini

---

[1]) Blass, Die att. Beredsamk. I², p. 151.

[2]) cf. Anecdot. ed. Bekker I, 403, 5.

[3]) Jahrb. für wiss. Kritik 1839, II, 482.

[4]) Pollux (Onom. II, 196) eiusdem vocabuli mentionem facit neque scriptoris nomen adicit.

[5]) Rhetor. Graec. ed. Spengel II, 415.

[6]) Memoria tenendum est Harpocrationem nullo loco enarrasse verbum quod respicit ex Antiphontis Rhamnusii scriptis haustum esse, sed strictim tantum ex Antiphonte.

[7]) Corp. inscript. Attic. I, 140; 318; 433.

iudicio Antiphontem Thucydidis magistrum fuisse[1]). Duos autem scriptores hoc nomine praeditos fuisse Hermogenes dictitavit[2]).

Quodsi Pahlius[3]) ex eo, quod Pseudoplutarchus in vita decem oratorum nusquam tetralogiarum mentionem fecerit, aliqua cum probabilitate suspici posse censet, illum vel potius Caecilium Calactinum, ex cuius libro Pseudoplutarchus plurima desumpsit, illas oratiunculas omnino non noscitasse aut spurias habuisse, hoc ex mea quidem sententia vili pendendum est. Si enim Pseudoplutarchus omnia Antiphontis scripta ex ordine enumerasset et percensuisset omissis tetralogiis, haec res admiratione digna esset et magni ponderis, atque tetralogias Antiphonti abiudicandas esse pro certo adfirmari posset; cum vero in nullius orationis mentionem inciderit nisi de Herodis caede habitae earumque, quae semper summis laudibus elatae sunt, quis est, qui certa ratione contendere audeat etiam Caecilium tetralogias silentio praetermisisse aut spurias putasse? Praeterea Pahlio assentiri non possum statuenti tetralogias propter singularitatem a Caecilio et Pseudoplutarcho commemorandas fuisse, si illi viri eas genuinas iudicassent. Neque enim ab Antiphonte tantum hoc orationum genus excultum sed iam ante hunc a Corace et Tisia inventum esse Spengelius idoneis argumentis allatis demonstravit[4]).

Reliquum est, ut veterum rhetorum iudicia et testimonia, quae passim de tetralogiis deprehenduntur, enumerem atque, quanta auctoritas in illis insit, accuratius inquiram. Quorum ex rhetorum numero alii deuterologias alii tetralogias Antiphontem divulgasse narrant. Sed ex eis verbis, quae illi viri de institutione ac natura talium orationum fecerunt, enucleari tantummodo potest Antiphontem quoque eiusmodi orationes edidisse, contra num eae, quae ad nos pervenerunt, Antiphonteae sint, denuo dubitatio succrescit. Praeterea illos rhetores satis recenti tempore fuisse respiciendum est; Doxopater enim Alexii imperatoris temporibus homilias conscripsit, Gregorius autem Corinthius saeculo duodecimo in vivis erat; huc accedit, quod eorum testimonia ad verbum fere congruunt, ita ut illos ex eodem fonte hausisse aut unum alterum exscripsisse statuendum sit. Velim conferas:

Ἀνωνύμου σχόλια εἰς Ἀφθόνιον (Walz II, 33).

δευτερολογίας δὲ τρόπους τέσσαρας εἶναί φασιν, εἷς μὲν ὅτε τοῦ αὐτοῦ προσώπου καὶ πράγματος μένοντος δύο γίνονται λόγοι, ὥςτε κατηγορήσαντος τοῦ διώκοντος καὶ ἀπολογησαμένου τοῦ φεύγοντος, αὖθις κατηγορῆσαι τὸν διώκοντα καὶ ἀνατρέποντα τὴν ἀπολογίαν καὶ τὸν φεύγοντα πάλιν ἀπολογήσασθαι πρὸς τὴν δευτέραν κατηγορίαν, ὡς εἶχον αἱ τοῦ Ἀντιφῶντος δευτερολογίαι.

Δοξοπάτρου ὁμιλίαι εἰς Ἀφθόνιον (Walz II, 378).

φασὶ δὴ δευτερολογίας τρόπους εἶναι τέσσαρας. ἢ γὰρ τοῦ αὐτοῦ μένοντος προςώπου καὶ πράγματος δύο γίνονται λόγοι, ὡς ἵνα κατηγορήσαντος τοῦ κατηγόρου καὶ ἀπολογησαμένου τοῦ φεύγοντος πάλιν κατηγορήσῃ ὁ διώκων ἀνατρέπων τὴν ἀπολογίαν καὶ ὁ φεύγων πάλιν ἀπολογήσηται πρὸς τὴν δευτέραν κατηγορίαν, ὡς εἶχον αἱ τοῦ Ἀντιφῶντος δευτερολογίαι.

Eadem fere verba leguntur apud Gregorium Corinthium (Walz VII, 1310).

---

1) Nieschke, de Thucyd. Antiph. discipulo et Homeri imitatore. Progr. Münden 1885.

2) Blass, Die att. Beredsamk. I², 108.

3) Die Reden des Antiph. p. 8.

4) *Συναγωγὴ τεχνῶν* p. 33.

Haec habui quae in universum contra lexicographorum et rhetorum auctoritatem disputarem. Summa quidem providentia et cautela cum in omnibus tum maxime in rebus criticis opus est; sed ubi omnia fere contra scriptoris cuiusdam auctoritatem sese coniunxisse videntur, ibi falso pietatis studio ducti ne simus nimis morosi rerum traditarum defensores. Optimum autem illa testimonia plane neglegere mihi videtur, ex quibus iam antiquissimis temporibus tetralogias Antiphonti Rhamnusio adscriptas esse constat. Multo igitur erit utilius tetralogias ipsas examinare, num ita comparatae sint, ut eas ab Antiphonte compositas esse iure meritoque coniectare possimus.

Atque primum quidem de virorum doctorum sententiis iudicabimus, qui tetralogias Antiphonte dignas esse censuerunt. Quamquam in oratiunculis illis nihil deprehenditur, ex quo tempora quibus conscriptae sunt aliqua cum probabilitate ad certos terminos revocari possint, atque omnes fere viri docti, qui reliquarum orationum tempora investigare ac definire conati sunt, tetralogiarum nullo verbo mentionem fecerunt[1]), nihilo minus Beckerus[2]) non modo qua aetate Antipho composuerit tetralogias sed etiam illas omnino ad Protagorae imitationem[3]) factas esse firmissimis argumentis ostendisse sibi visus est. Haec quae non dubitamus multis[4]) placitura esse, nobis non probari libere fatemur. Plutarchus[5]) enim memoriae tradidit Protagoram per totum diem cum Pericle de re subtili disputasse: *Πεντάθλου*, inquit, *τινὸς ἀκοντίῳ πατάξαντος Ἐπιτίμιον τὸν Φαρσάλιον ἀκουσίως καὶ κατακτείναντος, ἡμέραν ὅλην ἀναλῶσαι* (scl. Periclem) *μετὰ Πρωταγόρου διαποροῦντα, πότερον τὸ ἀκόντιον ἢ τὸν βαλόντα ἢ τοὺς ἀγωνοθέτας κατὰ τὸν ὀρθότατον λόγον αἰτίους χρὴ τοῦ πάθους ἡγεῖσθαι.* Quoniam in secunda tetralogia similem in modum de caede pueri ab altero in gymnasio iaculo interfecti certatur, Beckerus hanc quaestionem subtilem et intricatam a Protagora primo propositam et in scholis Periclis aetate pertractatam esse sagaciter coniecit, Antiphontem illis temporibus Protagorae discipulum fuisse eaque, quae in schola audierat, exercitationis causa litteris obsignasse. Quod quidem ab Antiphonte iuvene non multo post quam quaestio illa a Protagora esset proposita pertractataque, esse factum apparere. Cum vero ex Plutarchi testimonio certa probabilive ratione cognosci possit Protagoram de illa re cum Pericle disseruisse Athenis, deinde cum Protagoram Ol. LXXXIV, 1 Athenis relictis a Pericle electum, ut Thurinis leges scriberet[6]), in Italiam missum esse inter omnes constet, eodem fere tempore vel prius et secundam tetralogiam et primam tertiamque ab Antiphonte compositam esse a veritate non adeo abhorrere, quamvis in illis nullum vestigium reperiatur, quod qua aetate factae sint indicet, pro certo adfirmat Beckerus. Quae coniectura primo obtutu aliquam probabilitatis speciem prae se fert neque defuerunt, qui hanc sententiam summis laudibus extulerint[7]). Cum autem Protagoras circa Ol. LXXXII Athenis artem sophisticam docere coepisset, si Beckeri iudicium sequeremur, Antipho, quem circa Ol. LXXV, 1 natum esse[8]) con-

---

1) Kirchner, de temporibus orationum Antiphont. Frankfurt 1864.

2) De sophisticarum artium vestigiis apud Thucydidem. Berlin 1864 p. 11.

3) Welker, Rhein. Museum I, 570.

4) Blassii coniecturam (Att. Ber. I², 154) tetralogias post Ol. XC compositas esse praetermittere possumus, cum ullo fundamento careat.

5) Vita Periclis c. 36.

6) Frei, Quaestiones Protagoreae. Bonn 1847 p. 68.

7) Belling, de periodorum Antiph. symmetria. Vratislav. 1868 p. 61.

8) Blass, Die att. Beredsamk. I², 95.

stat, has exercitationes trigesimum annum agens instituisset. Num vero Antipho Protagorae discipulus vel auditor fuerit, aliqua cum probabilitate demonstrari nequit[1]); sed cum omnes eius orationes genuinae multifaria sophistarum vestigia exhibeant[2]), Antiphontem non modo Protagoram sed etiam Prodicum aliosque sophistas novisse et studio quoque sophistarum operam dedisse coniectari potest[3]). Praeterea posteriores rhetores et grammatici Sophilum Antiphontis patrem eloquentia et sophistarum arte imbutum fuisse tradiderunt[4]). Sed tamen Beckeri coniectura fundamento caret, nam ille vir doctus ad falsam opinionem est perductus ea re, quod Protagoram iam circa Ol. LXXXVI, 2 Athenas revertisse atque imprimis per postremam Periclis vitae partem (Pericles pestilentia abreptus est Ol. LXXXVII, 4) arta eius societate et familiaritate usum esse non in animum induxit. Qua re nihil obstat, quominus Protagoras de illa quaestione cum Pericle Athenas reversus disputaverit et Antipho tetralogias post Ol. LXXXVI, 2 composuerit, id quod vix veri simile est. Illo enim tempore Antipho quinquaginta fere annos natus erat; quis autem est, qui credat eum iam aetate provectum tales oratiunculas, quae ne iuvene quidem aut eloquentiae tirone dignae sint, exercitationis causa fecisse? Antiphontem autem iam tum eloquentia floruisse et Athenis clarissimum patronum fuisse, qui in aliorum usum orationes conscripserit, pro certo accipere possumus, etiamsi ullam orationem, cuius nomen nobis servatum est, ante bellum Peloponnesiacum exortum Antiphontem composuisse demonstrari non potest, nisi forte orationem primam in novercam habitam[5]). Sed orationum numerum, quas Caecilius Calactinus genuinas existimavit, maior est, quam ut Antiphontem senem demum rebus forensibus operam dedisse possimus statuere. Praeterea quid est, cur dubitemus illum multo maiorem orationum numerum, quam quas Caecilius adnotavit, pro aliis composuisse sed eas non dignas existimasse, quas litteris obsignaret et in publicum prodire iuberet? Tetralogiae autem maximeque tertia post Ol. LXXXV, 2 esse divulgatae videntur, quod in hac tetralogia, quae est de iuvenis cuiusdam cum sene iurgio et luctatione, ex qua senex obit, eadem fere causa agitur, quae a Corace et Tisia in arte rhetorica tractata dicitur[6]). Itaque tetralogiarum auctorem hanc artem perspexisse persuasum habeo. Num autem Coracis praecepta prius quam Tisiae in Graecia innotuerint, iure dubitem, quod, ubicunque veteres de illis viris monuerunt, Tisias praeclarior nominatur et omnino Coracis artem videtur excoluisse et perfecisse[7]). Cum vero Tisias circa Ol. LXXIV, 2 natus sit, illius arte rhetorica vix ante Ol. LXXXIV, 2 Athenienses imbuti esse possunt. Jmmo! quominus Protagoram Thuriis versatum illis scriptis studuisse atque doctrinam illam post Athenas reditum discipulis protulisse ponamus, quid obstat? Tisiam autem Lysiam arte rhetorica erudisse tradit Dionysius[8]). Paulo veri similius est, cum Tisiam ipsum in Graeciam venisse ibique inter primos magistros floruisse et ex Platone concludas et aperte testetur Dionysius[9]) illis temporibus istum praecepta eloquentiae professum esse Athenis. Atque etiam

---

1) Frei, l. c. p. 171.
2) Becker, l. c. p. 19 sq.
3) Welker, Prodikos von Keos, Rhein. Mus. I, 570 sq.
4) Hoppe, Antiph. specimen. p. 10.
5) Blass, Die att. Beredsamk. I² p. 107. 193.
6) Aristoteles, ars rhetor. II, 24. Plato, Phaedr. p. 273 B. C.
7) Spengel, Συναγωγὴ τεχνῶν. p. 38.
8) De Isocratis iudicio § 1.
9) Zeller, Gesch. der gr. Philos. I, 862.

Pausanias[1]) Tisiam cum Gorgia Athenas venisse narrat, ut auxilium pro Leontinis peterent (Ol. LXXXVIII, 2). Sed quomodocunque res sese habet, in universum statuendum nobis est in tetralogiis infirma tantum aut omnino nulla indicia inesse, quibus tempus, quo eae sint divulgatae, aliqua cum probabilitate definiri possit. Ut autem meam opinionem complectar, illa narratio, quam Plutarchus memoriae tradidit, nullius momenti videtur esse; potius in fabellarum numerum recipienda est, ex qua fortasse cognoscitur, quae argumenta sophistae Periclis aetatis tractare soliti sint et qua ratione; atque a Plutarcho illa fabula copiosius explicata est, ut quanta sagacitate Pericles philosophorum more ac ratione ingenium suum acuerit penitius perspiciatur.

Transeamus nunc ad alteram opinionem quam expendendam sumpsimus, nuper a Spengelio disceptatam sed nulla dum probabili ratione expeditam. Is enim tetralogias Antiphonteas ei libello insertas esse sagaciter coniecit[2]), qui *τέχναι ῥητορικαὶ* inscribitur, ut eis, qui in hoc opusculo labores ac studia collocarent, exempla ad imitandum proponerentur, postea autem inde resectas esse. Talia facta esse licet alii sibi persuadeant, ego ut credam non facile a me impetrabo, quod Spengelii sententia certo fundamento caret, praesertim cum ille vir doctus nullis verbis demonstraverit, quam ob rem illae oratiunculae ex arte rhetorica excerptae sint aut qua aetate, neque ullum extet grammaticorum testimonium, quo certa ratione evincitur illam opinionem esse probandam. Quae cum ita sese habeant, nihilo minus Kayserus[3]) Spengelii coniecturam summis laudibus extulit. Sed adhuc nemini dum virorum doctorum, quantum scio, contigit, ut aliis aliqua ex parte probaret ab Antiphonte Rhamnusio artem oratoriam esse divulgatam. Nonnulli quidem veteres scriptores et Graecorum et Romanorum in eiusmodi operis ab Antiphonte editi mentionem inciderunt[4]); cum vero iam Pollux illud spurium existimaverit[5]), tota quaestio in dubium revocata est[6]). Quodsi Pollucis testimonio neglecto aliorum scriptorum iudicium sequimur et artem oratoriam Antiphonti deberi concedimus, cum illius aetatis, qua Antipho floruit, omnes fere oratores clarissimi eloquentiae praecepta litteris mandare soliti sint, nihilo secius Spengelii coniectura tetralogias arti rhetoricae insertas fuisse nulla re confirmatur atque difficile est dictu, qua de causa aut quibus temporibus eae inde resectae et in orationum capitalium numero positae sint. Ad hanc dubitationis causam novum argumentum accedere videtur, quo Spengelii sententia profligatur. Ammonius[7]) enim fragmentum ex Antiphontis arte oratoria haustum memoriae tradidit; enarrat autem oratorem in arte docuisse verbum *σημεῖον* ad praeterita, *τεκμήριον* ad futura referendum esse. Sed tetralogiarum auctorem regulam illam non esse secutum clarius luce cognoscimus ex verbis tetralogiae tertiae (*Γδ* 2) *ὁ μὲν οὖν διώκων οὐκ εἰκόσι τεκμηρίοις χρώμενος τοῦτον τὸν ἄρξαντά φησι εἶναι*[8]). Itaque tetralogias arti rhetoricae non insertas fuisse necessario statuendum nobis

---

[1]) Pausan. VI, 17,8 cf. Blass, die Att. Ber. I², 21

[2]) *Συναγωγὴ τεχνῶν*. p. 119 sq.

[3]) Rhein. Mus. XII, 224.

[4]) Quintil. III, 1, 11. Longin. de inv. Walz IX, 576. Pseudoplut. V. A. 832 D.

[5]) Onom. VI, 143: *ἀπαρασκεύῳ ἐν τοῖς περὶ ἀληθείας Ἀντιφῶν εἶπεν, ἀπαρασκεύαστον δὲ ἐν ταῖς ῥητορικαῖς τέχναις· δοκοῦσι δ' οὐ γνήσιοι.*

[6]) Kohmius (l. c. I, 25 sq.) difficultates tollere conatus est, quod verba *δοκοῦσι δ' οὐ γνήσιοι* post verbum *εἶπεν* ponit, ut lectio fiat: *ἀπαρασκεύῳ ἐν τοῖς περὶ ἀληθείας Ἀντιφῶν εἶπεν· δοκοῦσι δ' οὐ γνήσιοι. ἀπαρασκεύαστον δὲ ἐν ταῖς ῥητορικαῖς τέχναις.* Quae coniectura ad hanc rem expendendam non multum valet.

[7]) v. *σημεῖον· σημεῖον καὶ τεκμήριον διαφέρει Ἀντιφῶν ἐν τῇ τέχνῃ· τὰ παρῳχημένα σημείοις πιστοῦσθαι, τὰ δὲ μέλλοντα τεκμηρίοις.*

[8]) Invenitur *σημεῖον* *Αβ* 5, *γ* 8. *Γγ* 3, *τεκμήριον* *Αδ* 10. *Γδ* 2; 3.

est. An putemus Antiphontem hanc regulam praescripsisse discipulis, qui arti studerent, in oratiunculis autem eidem arti insertis differentiae vocabulorum nullam rationem habuisse?

Iam ad alteram opinionem examinandam animum nostrum convertamus, quam Blassius [1]) primus protulit, Bothius [2]) argumentis quibusdam confirmare studuit, Antiphontem has oratiunculas composuisse, ut discipuli, qui eloquentiae forensis tirociniis imbuerentur, sine ulla difficultate rem in contrarias partes agere et statim in adversarii verbis ea observare possent discere, quae debiliora essent, atque ad eius, qui contra eum dicebat, ipsius commodum adhiberent. Atque Reiskium [3]) huius sophistarum dicendi generis tantopere pertaesum est, ut ea re tetralogias Antiphonti abiudicaverit. Quae sententia non multum valet, quod vir doctus neque certa ratiocinandi argumenta prompsit neque summo studio circumspexit, unde efficeretur, ut Antiphonti currentibus annis oratiunculae subderentur. Considerandum autem id est, si orationes discipulis ad imitandum conscriptae essent, perfectum ingenio et industria elaboratum illis necessario proponendum atque praecipue omnes causas quam accuratissime investigandas et refutandas fuisse. Nihil eiusmodi rationis in tetralogiis invenimus, nam multum abest, ut omnia argumenta ex ordine indagentur et illustrentur, ut potius saepenumero gravissimae vix tangantur. Quin etiam in tetralogia prima, quae consensu omnium optima extat et Blassio admirationi est, non raro argumenta quae redarguere scriptori haud difficile erat, aut silentio praetermittuntur aut infirmissimis iudiciis fulciuntur [4]). Cum vero Spengelius [5]) nonnulla de hac quaestione in medium protulerit, hoc loco rem retractare et dispositiones singularum orationum explanare longum est, praesertim cum in altero disputationis capite pluribus repetam illas orationes ab usitato ordine iudiciali Attico valde recedere. Quodsi multorum iudicandi ratio progreditur [6]) Antiphontem docere voluisse, quo modo in argumentis prolatis sophistarum illud *τὸ ἧττον κρεῖττον ποιεῖν* effici posset atque magni momenti esse, quod in tetralogiis argumenta, quae *ἐξ εἰκότων* deducantur, ab oratore adhibita sint, ut etiam discipuli hac disciplina imbuerentur, in altera tetralogia nulla eiusmodi rationis vestigia deprehendi nemo non merito miretur. Ex quibus locis Kayserus [7]) illam oratoris vim et inventionem praeclaram et acutam cogitationem perspexerit, quae occulta sagaciter quaerendo investigat et aperit, equidem intellegere non possum. Fortasse ideo, quod in tetralogia tertia argumenta repetuntur, quae iam a Tisia prompta esse edocemur, aut quod, postquam et in prima et in tertia tetralogia diu certatum est, a quo caedes patrata sit, subito certis testimoniis allatis omnia argumenta antea edita refelluntur! Ex orationibus de Herodis caede et de saltatore habitis Antiphontem virum summae constantiae et iustitiae fuisse manifestum est, qui veritati exquirendae diligenter studuerit; in tetralogiis autem nihil nisi rixandi et altercandi studium observatur. Quid! quod multae voces,

---

1) Die att. Beredsamk. I^2, 149/50.

2) de Antiph. tetr. p. 2.

3) Or. att. VII, 849.

4) Vide *Δβ* 7, *γ* 4. Copiosius hanc materiam exposuerunt Blassius (Att. Bereds. I^2, 159) et Linderus (de rerum dispositione apud Antiphontem et Andocidem. Upsalae 1859).

5) Rhein. Museum XVII, 162.

6) Kayser, Rhein. Museum XII, 224: die drei Tetralogien hatten vorzugsweise die Bestimmung, die Behandlung der Beweise *ἐξ εἰκότων* zu lehren.

7) Ille temperare sibi non potest, quin de tetralogiis haec verba faciat: „Alle Schärfe, inquit, des Geistes wird aufgeboten, um in den Sätzen, die eben noch im sicheren Gefühl der Wahrheit vorgebracht wurden, das Irrige zu entdecken und ihre Unzulänglichkeit zu enthüllen.“

quibus reo crimen imponitur, subito nulla mutatione facta a reo contra accusatorem proferuntur et versa vice. Velim conferas:

Αα 2 *οὐ τὸν αἴτιον ἀφέντες τὸν ἀναίτιον διώκομεν.*	*Αβ* 11 *οἳ δὲ διώκοντες μὲν ἐμὲ τὸν ἀναίτιον, τὸν δ'αἴτιον ἀφιέντες.*
	δ 11 *τὸν ἀναίτιον καταλαβόντας τὸν αἴτιον ἀφεῖναι.*
Αα 6 *εἰκότως μὲν ἐπεβούλευσεν, εἰκότως δ'ἀμυνόμενος τὴν ἔχθραν ἀπέκτεινε τὸν ἄνδρα.*	*Αβ* 10 *εἰ καὶ εἰκότως μὲν ὄντως δὲ μη ἀπέκτεινα τὸν ἄνδρα.*
Αγ 8 *εἰκότως μὲν ἀνοσίως δὲ ἀπέκτεινε τὸν ἄνδρα.*	
Αβ 9 *ὡς δὲ τόνδε τὸν κίνδυνον οὐκ ἀσφαλέστερον τοῦ ἀπὸ τῆς γραφῆς ἡγούμην εἶναι ἀλλὰ πολλαπλάσιον . . . διδάξω.*	*Αγ* 6 *ὡς δ'οὐκ ἐλάσσω ἀλλὰ πολὺ μείζω τὸν ἀπὸ τῆς γραφῆς κίνδυνον ἢ τόνδε ἡγεῖτο εἶναι διδάξω.*
Αβ 6 *εἰ δὲ μὴ καὶ ἐπὶ τοῖς ἱματίοις διεφθάρη, ἀλλ' ἑτέρους ἰδὼν ἄλλο τι κακὸν ποιοῦντας, ἵνα μὴ μηνυτὴς τοῦ ἀδικήματος γένηται ἀπέθανεν ὑπ' αὐτῶν, τίς οἶδε;*	*Αδ* 5/6 *οἱ μὲν ἐπὶ τοῖς ἱματίοις διαφθείραντες αὐτοὺς οὐκ ἂν ἔτι εἰκότως ἀφίοιντο, ... εἰ δὲ ἐκηρύσσοντο ἢ μὴ ἄλλοι τινὲς κακοῦργοι ἅμα τῷ τούτων φόνῳ, τίς οἶδεν;*
Ββ 1 *αὗται αἱ συμφοραὶ καὶ χρεῖαι . . . . παρὰ φύσιν λέγειν καὶ δρᾶν βιάζονται.*	*Βγ* 1 *αὐτὴ ἡ χρεία παρὰ φύσιν καὶ λέγειν καὶ δρᾶν ἅπαντας ἀναγκάζει.*

Similiter se habent quae leguntur: *Αα* 2, *β* 8; *Βα* 2, *β* 12; *Ββ* 10, *γ* 12; *Βα* 2, *γ* 6; *Βα* 2, *β* 11, *Γα* 2, *β* 7; *Γα* 3, *β* 7.

Quae dicendi consuetudo fortasse excusari posset, si in tetralogiis tanta breviloquentia ubique perspiceretur, quod omnino illarum orationum forma magna ex parte ab aliis forensis eloquentiae orationibus recedit, quae côram iudicibus habitae sunt, cum et prooemia desint et ipsa quae agitur causa non tam enarretur quam adumbretur. Sed permultis locis ubertas et verborum abundantia deprehenditur, quae quidem in universum cum orationum genuinarum dictione congruit, nihilo minus oratiunculis non ita longis exercitationis causa conscriptis parum apta videtur. Quod dicendi genus falsarius quidam, qui orationes suas Antiphonti subdere in animo habuit, facile imitari potuit aut ex orationibus genuinis exscribere; illa enim dictionis similitudo constat ea re, quod una notio duobus verbis exprimitur aut orationis ad numeros cadendae causa duae notiones diversae coniunguntur, ubi unum vocabulum sufficeret: *Αα* 1 *καὶ γνωσθῆναι καὶ ἐλεγχθῆναι*, *α* 4 *ἑτοίμην καὶ κατειργασμένην*, *α* 6 *μείζους καὶ πλείους*, *α* 10 *μιαρὸν καὶ ἄναγνον*, *β* 2 *λύπας καὶ φροντίδας*, *β* 2 *ὅσιον καὶ δίκαιον* (cf. *Αδ* 12, *Ββ* 2, *β* 12, *γ* 1, *δ* 10, *Γβ* 9, *δ* 11), *β* 12 *φιλοθύτην καὶ νόμιμον*, *β* 13 *ἀδίκως καὶ ἀθέως*, *β* 13 *κριταὶ καὶ κύριοι*, *γ* 6 *ἁλῶναι καὶ ἀποφυγεῖν*, *δ* 3 *θερμὸν καὶ ἀνδρεῖον*, *δ* 2 *κατήγοροι καὶ τιμωροί*, *Ββ* 1 *συμφοραὶ καὶ χρεῖαι*, *β* 11 *γηραιοῦ καὶ ἀθλίου*, *γ* 1 *ἀναιδὴς καὶ τολμηρός*, *γ* 4 *ἀδολώτερον καὶ ἀδυνατώτερον*, *γ* 3 *ἄθλια καὶ δεινά*, *γ* 4 *τόλμης καὶ ἀναιδείας* (cf. *Γγ* 6), *γ* 4 *βαλόντα καὶ ἀποκτείναντα* (cf. *δ* 4), *γ* 6 *ἄθλιον καὶ πικρόν*, *γ* 10 *συλλήπτωρ καὶ κοινωνός*, *δ* 2 *λεπτὰ καὶ*

ἀκριβῆ, δ 8 ὀρθῶς καὶ δικαίως, Γα 6 ὕβρει καὶ ἀκολασίᾳ, γ 1 ζῶν τε καὶ βλέπων, γ 6 ἀθέμιστα καὶ ἀνόσια, δ 6 ὑβρίζων καὶ παροινῶν. Utrumque vocabulum negatur: Αβ 12 μηδ' ἀνόσιον μηδ' αἰσχρὸν, δ 3 οὐ μηνυτὴς οὐδ' ἐλεγκτὴρ, δ 7 οὐκ ἔλεγχον οὐδὲ βάσανον, Ββ 3 οὐχ ὕβρει οὐδὲ ἀκολασίᾳ, Δα 9 οὔτε δικαίως οὔτε συμφερόντως[1]). Aliter se habent exempla, quae nunc enumero. Saepissime enim eadem sententia bis et adfirmando et negando exprimitur; velut particulis οὐκ — ἀλλὰ contrariae notiones opponuntur: Αβ 5 ἔστι δὲ οὐκ ἀπεικός, ἀλλὰ εἰκός, γ 6 οὐκ ἐλάσσω ἀλλὰ πολὺ μείζω, δ 8 οὐκ ἐκ τῶν εἰκότων ἀλλὰ ἔργῳ, Βγ 7 οὐ γὰρ ἀφανής, ἀλλὰ καὶ λίαν φανερὸς, γ 11 οὐχ ὅσια, ἀλλὰ ἀνόσια, Γγ 3 οὐδὲ τοῖς αὐτοῖς, ἀλλὰ τοῖς ἐναντιωτάτοις, δ 6 οὐδὲ κρείσσων ὤν, ἀλλὰ πολὺ ὑποδεέστερος (cf. Β, β 3, Δα 7, β 6, γ 4). Neque abhorrent ab illa dictione, quae deprehenduntur: Βα 2 ἑκόντα μὲν οὖν οὐκ ἐπικαλῶ ἀποκτεῖναι, ἄκοντα δέ, γ 6 ἀκουσίως δὲ οὐχ ἧσσον ἢ ἑκουσίως ἀπέκτεινεν, γ 7 οὐδὲν ἧσσον ἀκουσίως ἢ ἑκουσίως βλαφθείς. Singularis autem est usus particulae καί, qua duae res coniunguntur prior adfirmative altera negative, ut bis eadem fere sententia evadat. Qui usus tetralogiis peculiaris est: Αβ 5 ἐσωφρόνουν καὶ οὐκ ἐμαίνοντο, β 8 φυλάξασθαι καὶ μὴ παραγενέσθαι; alia extant in β 10; 13; γ 2; 8; Ββ 2; 5; 12; γ 1; 3; 9; 10; δ 4; Γβ 4; 6; 8; γ 3; 4; δ 4.

Multo magis admiratio nostra movetur, quod in tetralogiis loci communes qui appellantur aliaque orationis ornamenta usurpantur, quae tam callide composita sunt, ut auctorem in decipiendi studium delapsum esse edoceamur atque fraudis astutiaeque suspicio oriatur. Frustra autem quispiam quaerat, quam ob rem hoc ornatu exquisito tetralogiarum sermo illustratus sit, qui quidem in orationibus perfectis absolutisque auditorum animos movet adficitque, in illis vero declamationibus, ubi multa et gravia brevius quam opus erat absoluta sunt, plane supervacaneus videtur. Nam locos communes omnes fere oratores sibi conscripsisse et didicisse, quibus ad singulas orationes habendas uterentur, nemo est qui nesciat; unusquisque scriptor facile in eorum mentionem incidit, simulatque occasio data est. In tetralogiis scriptum invenimus: Αβ 1 τῶν μὲν γὰρ ἄλλων οἱ δυςτυχοῦντες ὁπόταν μὲν ὑπὸ χειμῶνος πονῶσιν, εὐδίας γενομένης παύονται· ὅταν δὲ νοσήσωσιν, ὑγιεῖς γενόμενοι σώζονται, Γα 2 ὅ τε γὰρ θεὸς βουλόμενος ποιῆσαι τὸ ἀνθρώπινον φῦλον, τοὺς πρώτους γενομένους ἔφυσεν ἡμῶν, τροφέας τε παρέδωκε τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν; huc pertinet Δα 3; α 10; β 11.

Omnia igitur, de quibus disputavimus, animo nobis reputantibus non mirum erit, si quis quaerat, quem fructum haec sermonis ornamenta adferant oratiunculis, quibus tantummodo summae res attinguntur; quae omnia mihi videntur esse adhibita, ut auctor cogitationum et sententiarum vanitates melius contegere possit.

Quamvis ei, qui tetralogiarum institutionem summis laudibus extulerunt, inter illarum orationum et quintae sextaeque elocutionem aliquid discriminis esse concesserint, tamen Blassius hoc excusandum putat atque de alio auctore cogitandum non esse disertis verbis adfirmat, quod tetralogiae a selectis tantum perlegerentur[2]). Qui sunt selecti? Haud dubie Antiphontis discipuli et auditores. Sed certa ratione demonstrari non potest, num Antipho disciplinam oratoriam iuvenes docuerit et omnino scholas sophistarum more habuerit. Praeterea quam ob rem in

---

[1]) Eiusmodi exempla, quae in orationibus reliquis reperiuntur, Hoppius collegit, cf. Antiphont. specim. p. 50.
[2]) Die att. Beredsamk. I, p. 114.

scriptis tironibus destinatis a vulgari sermone Attico alienum et neglegentius scribendi genus exhibuerit quam in orationibus pro tribunali habitis, ut animo capiam non facile a me impetrabo. Immo! cum discipuli non modo ingenia sua acuere sed etiam sermonem Atticum sincerum recte loquendi facultatem discere deberent, imprimis in talibus scriptis elocutionis sinceritatis perspicuitatisque ratio erat habenda. Atque etiam Blassius[1]) elocutionis differentiam, quae inter tetralogias et orationes reliquas interest, ex temporibus. quibus declamationes compositae sint, deducendam esse concedit; nam aliter scribere iuvenem quendam constare, aliter senem, aliter qui in excolenda arte se exerceat, aliter qui ad summum artis oratoriae fastigium pervenerit. Sed orationem in novercam habitam ab Antiphonte iuvene conscriptam esse cum supra iam viderimus, qui factum sit, ut tetralogiarum quidem dictio, si illas orationes eodem fere tempore compositas esse ponimus, ab quinta sextaque orationibus valde abhorreat, primae autem mirum in modum cum illis orationibus congruat? Quas difficultates Blassius ea re tollit, quod in orationibus ad usum publicum destinatis unicuique oratori magis sermonem hominum communem et vulgarem sequendum esse contendit, si id, quod sibi proposuerit, effici velit; neque vero tetralogiarum genus dicendi, quae non certis et veris causis apud iudices tractandis respondeant, ad normam cotidianam loquendi usus referre necessarium esse, sed in his oratiunculis auctori magis licere eis uti, quae in mentem ei veniant. Nos quidem Blassium sententias de tetralogiis inter se contrarias protulisse videmus disputantem mox eas ab Antiphonte exercitationis causa factas mox discipulis ad imitandum esse propositas. Qua in re maximum discrimen esse statuendum mihi videtur; si enim quis tales declamationes exercitationis causa componit, nisi iuvenis admodum hoc facere non potest, ut hoc modo paullatim in arte sua progrediens ad summam sermonis elegantiam perveniat; sin autem quis in animum induxit discipulos artis oratoriae rudimentis imbuere, ipsum iam eloquentiae laudem et amplitudinem nactum esse ex scriptis quodammodo cognosci oportet. Sed quoniam supra aliqua cum probabilitate ostendisse mihi videor Antiphontem quadragesimum aetatis annum egisse, cum tetralogiae divulgatae sint, quis est qui putet illum ea demum aetate iuris civilis sacrique peritiam consecutum esse et auctoritatem gratiamque apud populum Atheniensium sibi conciliasse, scripta quaedam in publicum prodire iussisse, in quibus non tam sermo minime expolitus alienusque ab usitato Attico quam multae vanitates et ineptiae inveniuntur? Neque enim hoc consociari potest cum Thucydidis[2]) iudicio, quod Pseudoplutarchi[3]) verbis comprobatur.

Itaque quocunque animum nostrum convertimus, maximae difficultates succrescunt, atque etiamsi ex eis, quae attuli, prorsus nondum effici mihi conscius sum Antiphonti iniuria tetralogias subditas esse, nisi nova argumenta ad sententiam meam confirmandam accedunt, tamen fundamentum ipsum, quo virorum doctorum opiniones nituntur, non satis firmiter structum dilucide demonstrasse mihi videor.

II.

Quoniam priore disputationis parte et e grammaticorum testimoniis vix certi quicquam aut indubii constitui et omnium virorum sententias, qui Antiphonti declamationes tribuendas esse

---

[1]) Die att. Beredsamk. I², p. 153.

[2]) lib. VIII, 68 κράτιστος ἐνθυμηθῆναι γενόμενος καὶ ἃ γνοίη εἰπεῖν.

[3]) Vita Antiph. ἔστι δ' ἐν τοῖς λόγοις ἀκριβής.

disertis verbis confirmaverunt, ulla approbatione carere cognovimus, num in oratiunculis ipsis vestigia quaedam deprehendantur, ex quibus falsarium illas conscripsisse atque sub praeclaro Antiphontis nomine edidisse appareat, accuratius indagare nunc operae pretium mihi videtur. Imprimis autem de ordine iudiciali et de legibus, quae in tetralogiis extant, copiosius nobis disserendum et exquirendum est, utrum illae cum legum praeceptis, quae sive in titulis Atticis sive apud oratores aliosque scriptores iuveniuntur, in universum congruant necne. Si enim in tetralogiis ea, quae ad causas publicas pertinent, accuratissime cum ordine iudiciali, qui Antiphontis temporibus Athenis vigebat, conspirare cognosceremus, rerum forensium peritiam ac cognitionem, qua tetralogiarum auctor insignis fuit, proxime ab eis abesse, quae de Antiphontis opera et usu forensi tradita sunt, iure meritoque fatendum nobis esset. Quae res aliqua ex parte illorum sententiam sustentaret, qui orationes ab Antiphonte conscriptas esse contenderunt. Nam cum in tetralogiis, sive ad discipulorum usum sive ab Antiphonte propriae exercitationis causa compositae sunt, eiusmodi argumenta sint explicata, qualia in vita humana cotidie accidere poterant, ut ex illis oratiunculis aliquid utilitatis caperetur, eas leges, quae tum Athenis vigebant, integras respici necessarium erat. Fortasse quispiam dixerit hanc condicionem esse supervacaneam, cum tetralogiarum auctori, quod non ad usum forensem factae erant, rerum iudicialium ratio nulla fuerit habenda in declamationibus, quibus ars inveniendi et concludendi non minus quam volubilitas atque vis detegendorum adversarii errorum exerceretur. Quodsi haec recto talo starent, tetralogiae multo minoris quam illae sophistarum disputationes temporis posterioris aestimandae essent, quod multis aliis rebus omissis ulla arte oratoria et sermonis elegantia carent. Huc accedit, quod in tetralogiis non modo rerum gestarum narratio prorsus deest sed etiam argumenta omnia alia strictim tantummodo adumbrata sunt, ita ut, qua via ac ratione auctor causam instituerit, saepe vix quisquam dilucide cognoscere possit. Tetralogiarum autem auctorem orationes illas hoc modo composuisse, ut iustarum orationum iudicialium, quae pro tribunali habebantur, speciem prae se ferrent, cum ex aliis multis causis tum ex ea re certa probabilive ratione cerni potest, quod duae apologiae reo, actori duae itidem accusatoriae orationes datae sunt; Athenis enim in caedis actionibus atque in nonnullis aliis iudiciis et actori et reo perorandi bis potestas solebat concedi[1]). Tum in tertia tetralogia auctor reum, priusquam oratio postrema habita erat et iudices sententiam proclamaverant, voluntario exilio urbe excessisse fingit, id quod lex Attica reo permisit, nisi quis patrem occiderat[2]). Atque etiam identidem, ut in orationibus, quae coram iudicibus habitae sunt, iudices ipsi compellantur: *Αβ* 13 *ὦ ἄνδρες τῶν μεγίστων κριταὶ καὶ κύριοι; Βγ* 3 *ὦ ἄνδρες ἀνοσίων ἔργων τιμωροί, ὁσίων δὲ διαγνώμονες; Βα* 1 *ὦ ἄνδρες πολῖται; β* 2 *ὦ ἄνδρες δικασταί.* Deinde auctor saepenumero testimoniorum mentionem facit, quibus veritas sententiae prolatae perspiciatur: *Γα* 7 *τῶν δὲ μαρτύρων ἀκηκόατε, οἳ παρῆσαν παροινοῦντι αὐτῷ; Γδ* 3 *οἱ γὰρ μάρτυρες τοῦτόν φασιν ἄρξαι τῆς πληγῆς; δ* 8 *οὐ γὰρ ὑπὸ τῶν πληγῶν ἀλλ' ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ ὁ ἀνὴρ ἀπέθανεν, ὡς οἱ μάρτυρες μαρτυροῦσιν.* Quin etiam in prima tetralogia homines commemorantur, qui interfecti verba repetunt: *Αα* 9 *ἑνὸς δὲ τοῦ ἀκολούθου παρα-*

---

[1]) Meier u. Schömann, Der attische Prozess, neu bearb. von Lipsius. Berl. 1883/7 p. 924.

[2]) Demosthen. in Aristocrat. § 69 *τῷ δὲ φεύγοντι τὰ μὲν τῆς διωμοσίας ταὐτά, τὸν πρότερον δ' ἔξεστιν εἰπόντα λόγον μεταστῆναι, καὶ οὔθ' ὁ διώκων οὔθ' οἱ δικάζοντες οὔτ' ἄλλος ἀνθρώπων οὐδεὶς κύριος κωλῦσαι.* cf. Pollux Onom. VIII, 117. Antiph. de Herod. caede § 13.

γενομένου, οἳ τούτου ἤκουον μαρτυρήσουσιν. Neque vero quisquam iure Attico testis esse poterat, nisi rei, de qua agebatur, ipse coram adfuerat, quae quis ab altero fando acceperat, pro testimonio dicere non licebat, nisi ille alter mortuus erat[1]).

Ex his quae attuli exemplis tetralogiarum auctorem rerum forensium Atticarum peritia quadam fuisse aliqua cum probabilitate videtur statui posse[2]). Qua re adducti ad hoc tempus omnes viri docti, qui de rebus iudicialibus copiose disseruerunt, tetralogias ab eis orationibus plane differre, quae rhetoribus posterioris aetatis debentur, ac multa, quae ad iudiciorum ordinem Atticum recte perspiciendum pertineant, intellegi posse opinati sunt. Inter eos, qui huic sententiae propagandae operam dederunt, principatum obtinet Blassius, qui tetralogiarum institutionem summis laudibus effert[3]). Atque etiam Philippius[4]), qui Blassium nonnumquam in errores incidisse disertis verbis ostendit, in universum eandem sententiam divulgavit. Neque aliter Herrlichius hanc materiam novissime tangens in disputatione quadam[5]) multa et gravia ad recte tetralogias disceptandas argumenta enucleasse sibi visus est[6]). Utrum hi viri recte egerint an ideo, quod praeoccupata mente tetralogias Antiphonti tribuendas esse sibi persuaserunt, sententias illas pronuntiaverint, adhuc, quod quidem sciam, a nullo est quaesitum. Itaque eorum sententias examinare liceat, quae si certis argumentis carent, abiciendae sunt.

Athenienses non modo causarum litiumque amantissimos fuisse sed etiam saepissime eges de singulis causis constitutas commutavisse consensu omnium constat, ita ut difficillimum sit aliqua cum probabilitate definire occasiones vel tempora, quibus singulae leges a senatu populoque Atheniensium sanctae sint. Cum vero saepius factum sit, ut leges etiam sive neglegentia sive socordia magistratuum sive largitionibus eorum, quibus legum inscribendarum negotium erat mandatum, corruptae, vitiatae, interpolatae sint[7]), interdum autem a populo ipso senatuque leges perlatae sint, quae aliis iam dudum constitutis contrariae erant, ut litigatoribus leges inter se repugnantes deprehenderentur[8]), nonnumquam recensione et recognitione legum opus erat, quae a collegio hominum iuris civilis sacrique peritissimorum instituebatur. Quamquam haec ita se habent, tamen leges de caede perlatas omnibus temporibus integras fere viguisse certiores facti sumus; omnes enim scriptores veteres, quibus fides adhibenda est, leges de caede praescriptas a Dracone legislatore semper Athenis in honoribus fuisse memoriae tradiderunt[9]). Eas integras Solo transtulerat in tabulas suas, fortasse autem nonnullis factis commutationibus, quae ad iudiciorum institutionem et res pro temporum ratione necessarias pertinebant[10]). Atque etiam

---

[1]) Meier u. Schoemann, Der attische Prozess p. 878.

[2]) Alia, quae minime a foro Attico abhorrent, collegit Kohmius, Ein Beitrag zur Frage über die Echtheit der Tetralogien II, p. 1 sq. cf. Hartmann, Studia Antiphontea, Lugd. Batav. 1882, p. 36/7.

[3]) Blass, Die att. Bereds. I [2] p. 149 sq.

[4]) Philippi, Der Areopag und die Epheten. Berl. 1874.

[5]) Herrlich, Die Verbrechen gegen das Leben nach attischem Recht. Berl. 1883.

[6]) Heikel, Über die sogenannte *βούλευσις* in Mordprozessen. Helsingfors 1886.

[7]) Lysias in Nicomach. § 3—5; 19—21, cf. Gülde, Quaestiones de Lysiae oratione in Nicomachum. Berol. 1882.

[8]) Lysias in Nicomach. § 3 *καὶ οἱ ἀντίδικοι ἐπὶ τοῖς δικαστηρίοις ἐναντίους παρείχοντο.*

[9]) Plutarch. vit. Sol. c. 17 *Δράκοντος νόμους ἀνεῖλε* (sc. *Σόλων*) *πλὴν τῶν φονικῶν ἅπαντας.* cf. Antiph. V, 14; VI, 2.

[10]) Aelian. V. H. VIII, 10 *Σόλωνα αἱρετὸν Ἀθηναῖοι προείλοντο ἄρχειν αὐτοῖς, οὐ γὰρ κληρωτὸν τοῦτον. ἐπεὶ δὲ ᾑρέθη, τά τε ἄλλα ἐκόσμησε τὴν πόλιν καὶ δὴ καὶ τοὺς νόμους τοὺς νῦν· ἔτι καὶ τότε ἐπαύσαντο Ἀθηναῖοι χρώμενοι τοῖς Δράκοντος ἐκαλοῦντο δὲ ἐκεῖνοι θεσμοί. μόνους δὲ ἐφύλαξαν τοὺς φονικοὺς αὐτοῦ.* cf. Schelling, De Solonis legibus apud oratt. Attic.

post triginta virorum dominationem abolitam, qui Draconis et Solonis leges everterant, liberae rei publicae formam, qualis antea fuerit, esse restituendam decretum est[1]). Solonis leges, mensuras, pondera Draconisque sanctiones retinendas esse. Nec minus oratores permulti, qui postea legum capitalium mentionem faciunt, scriptoris nomen addunt[2]), ita ut paucis tantum aliis adiectis omnes usque ad Demosthenis aetatem illas leges viguisse pro certo habeamus. Praeterea peropportune contigit, quod extant lapidis fragmenta, qui Draconis leges exhibet[3]), ut in universum constituere possimus, quae leges re vera ad Draconteas genuinas pertinere videantur, quae postea illis adscriptae sint. Diocle enim archonte Ol. XCII, 4 decretum quoddam senatus populique Atheniensium factum est, ut lapis exstrueretur, quo Draconis leges incisae erant, qui nuper repertus est. Leguntur autem haec: *τὸν Δράκοντος νόμον τὸμπερὶ τοῦ φόνου ἀναγραψάντων οἱ ἀναγραφῆς τῶν νόμων παραλαβόντες παρὰ τοῦ (κατὰ πρυτανείαν γραμμα)τέως τῆς βουλῆς ἐστήλῃ λιθίνῃ καὶ καταθέντων πρόσθεν τῆς στοᾶς τῆς βασιλείας.* Quamvis valde dolendum sit hunc lapidem temporum invidia vexatum et dilaceratum esse multis lacunis, quae adhuc nondum aliqua cum probabilitate restitutae sunt, ut maximam legum Draconis partem ex eo ad verbum videamus, tamen in universum leges, quas ex oratorum Atticorum scriptis cognovimus imprimis ex Demosthenis oratione in Aristocratem habita cum illis[4]), quas lapide incisas nunc habemus, congruere apparet[5]).

Nos quidem his praemissis ad propositum nostrum transeamus.

Atque primam tetralogiam breviter absolvere possumus, quod causae institutio, quam orator sibi finxit, in manifesto est. Civis quidam noctu cum servo a coena rediens obtruncatus neque tamen vestimentis spoliatus est. Ac dominus quidem statim illico animam exspiravit, servum autem ei, qui primi advenerunt, etiamtum vivum reppererunt. Interrogatus ab interfecti propinquis de domini occisione in percussorum numero inimicissimum domini quendam se agnovisse edicit. Quibus verbis factis non multo post servus e vita excessit. Inimicum illum cognati adfinesque, ad quos caedis ultio pertinebat, caedis consilio patratae in ius vocant apud Areopagitas[6]). Condemnatus si iniustam caedem consulto commisisse iudicatus erat, capitis supplicium subibat, nisi antea voluntario exilio urbem reliquerat, bonaque eius publicabantur[7]).

---

1) Ex Andocidis oratione de mysteriis hoc constat (§ 82): *ἔδοξεν τῷ δήμῳ, Τεισαμενὸς εἶπε πολιτεύεσθαι Ἀθηναίους κατὰ τὰ πάτρια, νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος, καὶ μέτροις καὶ σταθμοῖς, χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς, οἷσπερ ἐχρώμεθα ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ.* cf. Aeschin. in Timarch. § 39.

2) Demosthen. in Aristocrat. § 51. Leptin. § 158. in Euerg. et Mnesib. § 71.

3) C. I. A. I, 61.

4) Post multorum virorum curas, qui lapidis lacunis legum formulis adhibitis Aristocrateis explendis operam navarunt, non est, quod pluribus repetam, cf. Koehler, Hermes II, 27. Bergk, Philol. 1873, 669. Philippi, Der Areopag u. die Epheten, p. 333 sq.

5) Etiamsi Frankius (De legum formulis, quae in Demosthenis Aristocratea reperiuntur. Missenae 1848) iam leges singulas, quarum formulae in Aristocratea insertae inveniuntur, ordine percensuit et eas fictas omnes et commenticias esse demonstravit, tamen bene factum est, quod praeter unam, quae secundo loco commemorata est (p. 2), reliquae omnes salva antiquitatis notitia tolli delerique possunt. Nam ex undecim legum formulis, quae in illa oratione deprehenduntur, decem ita sunt ex oratoris verbis expressae, ut nihil fere contineant, quin ex ipsa oratione cognitum habeatur.

6) *Δα* 5 *ὁ θάνατος ἐξ ἐπιβουλῆς ἀποθανόντα μηνύει αὐτόν.* cf. Philippi, Der Areopag u. die Epheten, p. 23/24. Heikel, Über die sog. *βούλευσις*, p. 7.

7) Demosthen. or. 21, 43 *οἱ φονικοὶ τοὺς μὲν ἐκ προνοίας ἀποκτιννύντας θανάτῳ καὶ ἀειφυγίᾳ καὶ δημεύσει τῶν ὑπαρχόντων ζημιοῦσι.* cf. Demosth. or. 23, 69. Philippi, l. c. p. 96.

Reum autem hanc poenam timuisse ex tetralogia ipsa cernitur: *Αβ* 9 *ἐὰν δὲ νῦν καταληφθεὶς ἀποθάνω, ἀνόσια ὀνείδη τοῖς παισὶν ὑπολείψω, ἢ φυγὼν γέρων καὶ ἄπολις ὢν ἐπὶ ξενίας πτωχεύσω.* Primum reus argumenta verisimilia (*εἰκότα*) adferens se culpae expertem esse demonstrat (*β* 5—7) et suspicionem etiam in alios avertere studet (*β* 7—9), deinde in quarta oratiuncula subito omnes servos suos ad quaestionem per tormenta dare sua sponte offert, ut ipsum illa nocte, qua civis necatus sit, domo non excessisse appareat: *Αδ* 8 *ὁπόσοι γάρ δοῦλοί μοι ἢ δοῦλαί εἰσι, πάντας παραδίδωμι βασανίσαι· καὶ ἐὰν μὴ φανῶ ταύτῃ τῇ νυκτὶ ἐν οἴκῳ καθεύδων ἢ ἐξελθών που, ὁμολογῶ φονεὺς εἶναι.* Quid! nonne admiratio nostra iure movetur[1], quod auctor nunc in postrema oratiuncula per testes reum culpa vacuum esse indicat, ut non modo omnia argumenta ab utraque parte antea prolata fiant supervacanea, sed etiam iudices inutilibus verbis vexati sint, quamvis ante Areopagitas extra causam[2]) dicere non liceret? Orationes iudiciales plerumque non tam ad docendos iudices compositas quam ad permovendos invidia aut gratia, ira aut misericordia animos adhibitos esse advocatos non ignoro. Sed cum omnia, quae ad causas capitales pertinent, summa cum diligentia exquisita esse et iteratas in ius vocationes, quae *προδικασίαι* appellantur, institutas esse inter omnes constet, in quibus iura iuranda, testimonia, argumenta conscribebantur et litteris quoque consignabantur, ut in actione ipsa coram iudicibus oratores inspicerent[3]), quid putemus reum in anacrisi protulisse, quo accusationem refellendam esse demonstraret? Interdum autem factum est, ut anacrisi iam finita et omnibus probationum instrumentis in capsulis clausis obsignatisque, coram iudicibus servi, qui ad argumenta adhuc prolata nova testimonia ederent, per tormenta quaererentur[4]). Ex mea quidem sententia omnino fieri non potuit, quin reus statim meminerit se illa nocte qua caedes patrata erat domi mansisse, cum sine ulla dubitatione protinus caedis suspicio in eum mota sit. Quidni prae ceteris hoc argumentum servis adhibitis testibus confirmaverit, simulatque in ius vocatus est? Quodsi Blassius[5]), cum reus illud gravissimum argumentum, quo omnibus iudicum suffragiis erat absolvendus, postremum profert, illi summo commodo esse disertis verbis contendit, quod accusatores argumenti auctoritatem redarguere aut refellere probibiti sint[6]), me iudice videtur nihil dixisse. Immo vero! nonne hoc modo in iudicum animos facile suspicio excitabatur reum, ut culpa liberaretur, servos postea pecunia sive aliis machinationibus corrupisse et commovisse, ut falsum testimonium per tormenta ederent? Quid autem accusatores contra servorum testimonia, si protinus essent pronuntiata, gravius proferre potuissent, qui ipsi testimonio servi cuiusdam commoti accusationem illam instituerant? Praeterea id tenendum est servi quidem mortui testimonium ex iudiciorum Atticorum ordine nihil valuisse, cum ille non per tormenta quaesitus esset, contra servorum testimonia quos reus torquendos tradiderat, summi fuisse momenti[7]). Servorum enim testimonia per tormenta edita Athenis iam saeculo quinto firmiora esse putata quam civium, quis est qui nesciat[8])?

---

[1]) Pahle, Die Reden des Antiphon, p. 10.

[2]) Meier u. Schömann, Der att. Prozess, ed. Lipsius, p. 933.

[3]) Antiph. VI, § 38—42.

[4]) Meier u. Schömann, Der att. Prozess, ed. Lipsius p. 893/4. Heffter, Athen. Gerichtsverfassung p. 312.

[5]) Die att. Beredsamk. I[2], p. 160.

[6]) Similiter iudicat Kohmius, l. c. II, p. 19.

[7]) Meier u. Schömann, Der att. Prozess, ed. Lipsius p. 889.

[8]) Lysias, or. III, 33; IV, 10; VII, 34. Hudtwalker, Von den Diäteten, p. 51.

Omnibus circumspectis consideratisque hac ratione, qua tetralogiarum auctor usus est, causam pro tribunali tractari non potuisse fatendum nobis est neque hanc tetralogiam a viro compositam esse, qui usu et consuetudine forensi erat imbutus. Videmus autem auctorem tetralogiae argumentum hoc modo tractasse, quod, si iam pridem servorum testimonia protulisset, causam per quattuor orationes trahere non poterat, sed fortasse duabus vel tribus tantum oratiunculis opus erat, quae res saepe fieri solita[1]) tamen aliena fuit a consilio auctoris argumentum quoddam per quattuor oratiunculas disceptare omnique modo pertractare. Totum igitur huius tetralogiae argumentum male inventum esse quis est qui neget, minimeque erat idoneum, quod discipuli imitarentur[2]).

Transeamus nunc ad alterius tetralogiae argumentum explicandum. Iuvenis quidam in gymnasio iaculando alium in exercentes incurrentem adulescentulum infelici ictu ferit. Quo exstincto pater adulescentis occisi alterum in ius vocat caedis involuntarie factae, quae agebatur in iudicio „*ἐπὶ Παλλαδίῳ*“, cui *ἄρχων βασιλεύς* praeerat[3]). Si autem quis non consilio hominem occiderat, ut aliquantum temporis patria careret, lex erat; quamdiu talis homo patria abstinebat, ab omni iniuria defendebatur lege, nec bona eius publicabantur[4]). Utrum omnino iuvenes aetate nondum adulta[5]) in ius vocari potuerint, utrum eaedem leges, quae de viris constitutae erant, ad illos pertinuerint an illi poenis minoribus adfecti sint, pro certo adfirmare non ausim, cum de hac re nullum testimonium suppeditet; sed veri simillimum est, quod etiam a Polluce[6]) puerum sacrilegii accusatum esse narratur. Iuvenis a patre defenditur, quod ipsi causam agere coram iudicibus ex iure Attico non erat permissum[7]). Ut autem filius exulationis poena liberetur, pater subtili argutaque argumentatione mortuum se ipsum interfecisse contendit (*β* 6—8, *δ* 8); nam cum filiolus telum recto cursu emiserit, caedis culpam ei imponendam non esse (*β* 3; 7).

In secunda oratione iuvenem in ius vocatum esse ab accusatore commemoratur ideo, quod lex vetet, ne quis aut iuste aut iniuste occidatur (*β* 9 *μήτε ἀδίκως μήτε δικαίως ἀποκτείνειν*). Blassius[8]), cuius opinioni Herrlichius (l. c. p. 16 Adn. 83) accessit, illa legis formula, quae saepius in tetralogiis invenitur[9]), neque voluntariam neque involuntariam caedem patrare fas fuisse exprimi confirmat. Atque ego quidem hanc opinionem sequor; nam illam formulam tetralogiarum auctorem ita intellegi voluisse elucebit, simulatque iustum rerum nexum perspexerimus, ex eis verbis, quae legem illam subsequuntur: *Bβ* 9 *ἀμφοῖν ἀπολύεται τοῖν ἐγκλημάτοιν, μήτ' ἄκων μήτε ἑκὼν*

---

[1]) Meier u. Schömann, Der att. Prozess, ed. Lipsius p. 924/5.

[2]) Maxime dolendum est Lysiae orationem contra Micinem scriptam nostram aetatem non ferre, ex qua, cum de simili argumento ageretur, quo modo talis causa coram iudicibus instituenda esset, dilucide cerni poterat. cf. hypothes. tetr. I.

[3]) Meier u. Schömann, Der att. Prozess, ed. Lipsius p. 174.

[4]) Philippi, Der Areopag u. die Epheten, p. 27 Adn.

[5]) Reus *μειράκιον* nominatur non modo a patre patrono (*β* 3; 5; 7; *δ* 4; 5; 8) sed etiam ab accusatore (*α* 1; *γ* 5; 9; 10; 11); *β* 11 vocatur *νήπιος*, *δ* 6 *νεανίσκος*, *β* 3 *υἱός*, *β* 12 *παῖς*. Puer autem mortuus semper *παῖς* vocabulo designatur. Itaque illos pueros togam virilem nondum sumpsisse statuendum est. De verborum *μειράκιον* et *παῖς* differentia egit Heffter, Das athen. Gerichtsverf. p. 75.

[6]) Onom. IX, 74.

[7]) Meier u. Schömann, Der att. Prozess, ed. Lipsius p. 765.

[8]) Die att. Bereds. I², p. 164 Adn. 3.

[9]) *Bγ* 7; *Γβ* 3; *δ* 8.

ἀποκτείνειν. Quod Blassius illam legis formulam in iuris Attici codice reperire priore tempore coniecit[1]), nullus alius deprehenditur locus, quo illa sententia comprobetur. Quin etiam consociari non potest cum legibus, per quas impune mortem inferre licebat hominibus, qui in certis quibusdam facinorum generibus deprehenderentur, quae ad *φόνον δίκαιον* pertinebant. Ex omni autem tetralogiae secundae natura et institutione auctorem ignorasse persuasum habeo, quando ex iure Attico impune necare concessum esset. Invenimus enim in Demosthenis oratione in Aristocratem habita haecce legis praecepta (§ 53): *ἄν τις ἐν ἄθλοις ἀποκτείνῃ τινὰ (ἄκων, ἢ ἐν ὁδῷ καθελὼν) ἢ ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας, ἢ ἐπὶ δάμαρτι ἢ ἐπὶ μητρὶ ἢ ἐπ' ἀδελφῇ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ, ἢ ἐπὶ παλλακῇ, ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ, τούτων ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα*[2]). Qua lege is, qui in palaestra quendam casu infelici inconsulto interfecerat, caedis culpa absolvitur. Illo autem vocabulo *ἄθλοις* significari non solum ludos publicos sed etiam exercitationes in gymnasio factas, quippe quae eos praecederent, non est, cur dubitemus. Firmissimum argumentum, quo demonstratur illam significationem in verbo *ἄθλοις* inesse, ex Platonis legibus promere possumus, qui eandem legem commemorans accuratius addit (de leg. 865 A): *εἴ τις ἐν ἀγῶσι καὶ ἄθλοις δημοσίοις ἄκων ..... ἀπέκτεινε.* Quamvis haec ita sese habeant, tamen multi multa opinati aut hariolati sunt atque perversas de hac re sententias propagaverunt. Spengelius[3]) enim, cui nuper etiam Bothius[4]) adstipulatus est, ex Antiphontis tetralogiis summa cum perspicuitate cerni iudicavit illis temporibus, quibus Antipho eloquentia floruit, eos exilio multatos esse, qui in palaestra casu quodam involuntarie alium necavissent, postea autem Demosthenis fere aetate in aliam quandam formam illud legis praeceptum redactum et usque adeo mitigatum esse, ut homo, qui illius facinoris postulatus esset, prorsus culpae expers ductus liberaretur. Quantum autem in errorem Spengelius eique, qui eius sententiam complexi sunt, inciderint, facile est cognitu, quoniam non Demosthenis demum aetate sed iam antea hanc legem valuisse summa cum probabilitate constituere possumus. Platonem enim in libro, qui de legibus compositus est, eiusdem legis mentionem fecisse iam supra commemoravimus. Quamquam Platonis leges non ita multum valent ad ea legum Atticarum praecepta, quae cotidie in iudicio usurpabantur, stabilienda, cum illum philosophum multas quidem leges ex iuris Attici codice desumpsisse, multas autem ipsum ingenio suo invenisse manifestum sit, tamen hanc legem e Draconis praeceptis eum hausisse pluribus exponemus. Demosthenes enim, qui in Aristocratea (§ 51) ad leges de homicida latas transit, omnes, in quarum commemorationem incidit, a Dracone praescriptas esse his verbis dilucide pronuntiavit: *ὁ μὲν νόμος ἐστὶν οὗτος Δράκοντος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ οἱ ἄλλοι, ὅσους ἐκ τῶν φονικῶν νόμων παρεγραψάμην.* Spengeliumne aliosque haec verba, quibus nihil distinctius proferri potest, plane fugerunt an oratorem temere hanc vocem edidisse et fortasse Draconis nominis commemoratione significare voluisse putaverunt legem, de qua modo copiose locutus est, paulo severiorem esse et crudeliorem quam quae ab Aristocrate lata erat? At orator ipse huic opinioni adversatur ubique Draconteārum legum lenitatem et iustitiam celebrans prae Aristocratei psephismatis asperitate. Praeterea non modo a Demosthene sed etiam ab aliis oratoribus legum capitalium saepissime mentionem fieri addito scriptoris nomine iam supra demon-

[1]) Die att. Beredsamk. I, 151 Adn.

[2]) Verba uncis inclusa in oratoris textu non leguntur.

[3]) Rhein. Museum 17 p. 161.

[4]) De Antiph. tetral. p. 8.

stravimus, neque quisquam, quod quidem sciam, id in dubitationem vocavit. Equidem intellegere non possum, quo iure illa lex Draconi abiudicanda sit. Immo vero! cum Athenis exercitationes gymnasticas semper in deliciis fuisse constet[1]) atque saepius iuvenes in palaestra se exercentes vulneratos et interfectos esse veri simillimum sit, Draco ille legislator sapientissimus certa praecepta de caede hoc modo commissa praescripsit[2]). Atque cum illas leges omnibus temporibus populum Atheniensium coluisse perspexerimus, quis est qui Antiphontis aetate hanc legem nondum innotuisse nobis persuadere audeat? Quoniam igitur tetralogiarum auctor eam non respexit, qua reus necessario absolvendus et omnino causae institutio ab iudicibus reicienda erat, illum ne praestantissimarum quidem legum ullam cognitionem habuisse clarius luce est, nedum rerum forensium et ordinis iudicialis peritissimus fuerit. Neque vero Antiphontem tam ignarum fuisse mihi persuasi, quem et saepenumero leges de caede latas laudasse[3]) scimus et frequenter in orationibus de legibus locutum[4]) esse constat, quem ad illos viros numerare debemus, qui iuris peritia maxima imbuti pro orationibus in aliorum usum conscriptis quaestum fecerunt (Phot. c. 259). Fortasse quispiam dixerit auctorem, cum interdum ex industria oratores legem quandam silentio praetermiserint et defensionem aliter ac pro legibus instituerint, in hac quoque tetralogia ad causidici fallacias progressum esse. Sane quidem saepe a patronis hoc artificium adhibitum est, quo facilius absolveretur reus, si orator sperare potuit fore, ut iudices, qui praeerant iudicio, ipsi legum non satis gnari essent aut adversarii illas argutias non animadverterent. In hac tetralogia auctor adversa fronte secum pugnans eiusmodi artibus uti potuit, ut in posteriore oratiuncula illam infirmitatem detegendi ansam haberet. Nihil videmus. Quin etiam optimum quemque causidicum leve et minutissimum quoddam legis praeceptum omittere potuisse concedo; at quis putet Antiphontem huius legis, quae sine ulla dubitatione notissimis adnumeranda erat, rudem fuisse? Neque vero nonnumquam eos, qui se caedem iustam patrasse confessi sunt, in ius vocatos esse ignoro, quia saepissime ambigebatur, qua voluntate mortem intulissent aut quibus machinationibus leges violassent[5]). Tantum autem abest, ut in hac tetralogia ulla dubitatio nobis detur, qua voluntate adulescens interfecerit, ut potius accusator ipse homicidium inconsulto commissum esse confiteatur[6]). Quibus verbis concessit reum iustam caedem patrasse; nam lege praescriptum erat: *εἴ τις ἐν ἄθλοις ἄκων ἀπέκτεινε .... μὴ φεύγειν.* Atque rectissime Philippius (l. c. p. 61. 123) causam numquam esse institutam coram iudicibus demonstravit, quotiens accusator reum *δικαίως πεφονευκέναι* confessus esset, sed satis fuisse caedem caerimoniis quibusdam et ritibus sacris expiari.

Sed considerare pergamus, quo modo secundae tetralogiae actio progrediatur. In tertia oratiuncula patrem rei illam subtilem perorandi artem adhibuisse accusator conqueritur, qua animos iudicum, quocunque velit, trahere vel rapere possit eosque impellat, ut voluntatem eius intuentes totos se ad eius nutum atque arbitrium accomodent atque magis illius emolumento

---

1) Pind. Nem. V, 49 (89).

2) Praeterea Plato (de leg. p. 865) Delphici oraculi iussu eos, qui in palaestra caedem involuntariam patrassent, culpa liberatos esse enarrat. Qua re Platonem illam legem non ipsum excogitasse in aperto est.

3) Antiph. V, 10; 14—16; 87; 88. VI, 2; 4; 6; 38.

4) Pseudoplut. V. A. *ἐπὶ τοὺς νόμους καὶ τὰ πάθη τρέπων τοὺς λόγους.*

5) Haec re vera ita se habere ex Lysiae oratione de Eratosthenis occisione habita cernuntur; cf. Philippi, Der Areopag u. die Epheten, p. 60. 124.

6) *Ba 2 ἑκόντα μὲν οὖν οὐκ ἐπικαλῶ ἀποκτεῖναι, ἄκοντα δέ.*

quam veritati serviant et re vera puerum se ipsum interfecisse putent[1]). Sed accusator argutias et vana verborum deverticula rei non detegens denuo ab iudicibus flagitat, ut adulescens poena adficiatur, quod caedem involuntariam patraverit (*Bγ* 7). In defensione iterum patronus exponit accusatorem verba male interpretatum esse, nam se non ad verbum asseverasse puerum mortem voluntariam obiisse sed culpa tantum ipsius esse necatum: *δ* 4 *σχετλιάζει δὲ κακῶς ἀκούειν φάσκων τὸν παῖδα, εἰ μήτε ἀκοντίσας μήτ' ἐπινοήσας αὐθέντης ὢν ἀποδείκνυται, καὶ οὐ πρὸς τὰ λεγόμενα ἀπολογεῖται. οὐ γὰρ ἀκοντίσαι οὐδὲ βαλεῖν αὐτόν φημι τὸν παῖδα.* Statim autem rursus in tortuosum disputandi genus incidit et argumenta argutiis plena profert, quae verbis modo factis prorsus contraria videntur: *ὑπὸ τὴν πληγὴν τοῦ ἀκοντίου ὑπελθόντα οὐχ ὑπὸ τοῦ μειρακίου ἀλλ' ὑφ' ἑαυτοῦ διαφθαρῆναι,* quibus in universum eadem sententia continetur, quae inest in oratione secunda (*β* 5; 8), quam defensorem male intellexisse auctor contendit. Equidem facere non possum, quin in tota tetralogia decipiendi studium perspiciam, nam ad tam vanas verborum deflexiones et inanes sententiarum argutias auctor delapsus est, ut iure meritoque unusquisque ingenium auctoris moresque tamquam propensos ad fallacias exercendas obiurgare debeat. Quamquam auxilia ad augendam ratiocinandi vim ab arte rhetorica petita etiam in orationibus iudicialibus permissa sunt, quam ex altera quasi parte respondere eloquentiae Aristoteles (Rhetor. I, 1) docuit, tamen vehementer ab eis discrepant, quae Antipho in genuinis orationibus adhibuit[2]) et proba honestaque proposuerunt philosophi.

Priusquam autem hanc materiam missam faciamus et ad novas res nos convertamus, occasione oblata liceat accuratius considerare opinionem, quam Herrlichius[3]) nuper de caede involuntaria exposuit. Ille enim, si quis alium in palaestra sive in bello non agnoscens sive medicus alium falsa cura inconsulto necaverit, haec de illis criminibus legis praecepta ad *φόνον ἀκούσιον* pertinere et accusationem in iudicio *ἐπὶ Παλλαδίῳ* agi persuasum habet, sed tamen reum omni culpa liberari. Quod attinet ad legem de medico latam, non satis liquet, num in Draconteis legibus numeranda sit, cum ex hac tantum tetralogia et Platonis legibus[4]) innotuerit. Sed hoc non adeo magni ponderis est ad quaestionem nostram diiudicandam. Herrlichium praeoccupata mente et raptim sententiam de his legibus pronuntiavisse et Platonis sententiae, qui illas leges ad *φόνον ἀκούσιον* adnumerat, nimis adstipulatum esse mihi quidem manifestum videtur. Eodem enim iure alias leges, quae ad *φόνον δίκαιον* pertinent, veluti: *ἄν τις .... ἀποκτείνῃ τινά .... ἢ ἐπὶ δάμαρτι ... ἢ ἐπὶ μητρὶ ἢ ἐπ' ἀδελφῇ ἢ ἐπὶ θυγατρί, ἢ ἐπὶ παλλακῇ ἣν ἂν ἐπ' ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ* vel *ἐὰν ἄγοντα ἢ φέροντα βίᾳ ἀδίκως εὐθὺς ἀμυνόμενος κτείνῃ, νηποινεὶ τεθνάναι* vel *ἐάν τις ἀμυνόμενος ἄρχοντα χειρῶν ἀδίκων κτείνῃ*[5]) vel multas alias titulis de caede involuntaria inscriptis inserere potuit ita, ut unusquisque miraretur, quo consilio Athenienses iudicium *ἐπὶ Δελφινίῳ* instituissent. Praeterea legem: *ἄν τις .... ἀποκτείνῃ τινὰ ἐν πολέμῳ ἀγνοήσας* non ad *φόνον ἀκούσιον* referendam esse facile est cognitu. Neque enim fieri potuit, ut is, qui alium in bello aut in nocturno tumultu, quales

---

[1]) *Bγ 4 αὐθέντην προσκαταγνωσθέντα ὑφ' ὑμῶν ἐπίδω αὐτόν.*

[2]) Dispositiones harum orationum accurate illustravit Blassius, Die att. Beredsamk. I[2], 174 sq.

[3]) l. c. p. 20/21.

[4]) Plat. de leg. IX, 865 B *ἰατρῶν δὲ πέρι πάντων, ἂν ὁ θεραπευόμενος ὑπ' αὐτῶν ἀκόντων τελευτᾷ, καθαρὸς ἔστω κατὰ νόμον.*

[5]) Demosthen. XXIII, 53—55; 60.

in bellis accidere solent, aut in expugnanda vel diripienda urbe occidisset ἀγνοήσας, id est nesciens non hostem illum interfectum sed unum de commilitonibus suis esse, caedis accusatus se involuntarie necasse obtinet; sed unumquemque eum, quem hostem putet, consulto interfecisse clarius luce est; huc accedit, quod in hac legis formula verbum ἄκων deest. Longe aliter sese habet lex, quam apud Platonem scriptam iuvenimus (de leg. IX, p. 865 A): εἴ τις .... ἄκων .... ἀπέκτεινέ τινα φίλιον ἢ κατὰ πόλεμον ὡσαύτως ἢ κατὰ μελέτην τὴν πρὸς πόλεμον id est is, qui in bello sive in exercitationibus bellicis unum de commilitonibus casu quodam infelici inconsulto (ἄκων) occidit, culpa vacat. Num leges quoque de exercitationibus gymnasticis et de medico latae sine ulla dubitationis specie ad φόνον δίκαιον referendae sint, pro certo adfirmare non ausim, cum neque ullum testimonium de hac re exstet neque orationem ullam genuinam de his causis habitam, ex qua firmissimum argumentum enucleari possit, aetas nostra ferat. Si autem Herrlichii iudicium recto talo staret, qua re commotus Demosthenes in Aristocratea non modo haec legis praecepta una cum aliis, quae sine dubio ad φόνον δίκαιον pertinent, enumeraverit, animo non perciperem, sed etiam statim pauca verba adiciens aliam legem citaverit, quam et φόνῳ δικαίῳ addicendam esse et proximam lapide incisam fuisse constat[1]). Atque cum Draconis leges non eadem via et ratione ac Platonis collectae dispositaeque sint, omnes formulas, quibus reus culpa caedis liberabatur, ad φόνον δίκαιον pertinuisse puto.

Usque ad hoc tempus omnes, qui iudicio Attico penitius perspiciendo diligenter operam navarunt, Athenienses inter caedem involuntariam temeritate ac socordia patratam (fahrlässige Tötung) et involuntariam sine culpa quadam commissam nullum discrimen stipulavisse censuerunt[2]). Novae opiniones nuperrime ab Herrlichio promptae sunt, qui ex secunda tetralogia apparere disertis verbis adfirmat eum, qui alium invitum sine culpa quadam aut temeritate occiderit, minore poena esse adfectum, quam cui neglegentiae criminationem imponendam esse constet; quo facilius ea quae exposui animo perspiciatur, verba, quibus Herrlichius sententiam suam complexus est, adferre liceat (l. c. p. 21): „Dafür, inquit, übrigens, dafs die Anschauung, nach welcher die Strafe des φόνος ἀκούσιος von dem Vorhandensein einer Fahrlässigkeit auf Seiten des Thäters abhängig gemacht wurde, auch den Athenern nicht ganz fremd war, liefern die Übungsreden in der zweiten Tetralogie einen nicht uninteressanten Beweis.“ Quod si cui minus placebit, ego non vehementer repugnabo. Equidem tetralogiarum auctorem ne legibus quidem Atticis usitatissimis aut iudiciali ordine satis imbutum fuisse iam supra demonstrasse mihi videor, nedum ex illis oratiunculis quid certius enucleari possit, quod alibi nusquam deprehenditur. His autem omissis si, quae Herrlichius pro vero confirmat, probabilia essent, imprimis ex defensoris verbis necessario cognosceretur puerum omnino occidisse atque ob eam rem, quod temeritas nulla exstaret, ut iuvenis minore poena multaretur, a patrono postulari. Neque vero ullo loco neque ullo verbo ab iudicibus hoc petitur, sed ubique intentissima cura patronus id agit, ut iuvenis crimine absolvatur, quod omnino non ille interfecerit sed interfectus ipse sui interemptor exstiterit: Bβ 3 ἔβαλε μέν, οὐκ ἀπέκτεινε δὲ οὐδένα κατά γε τὴν ἀλήθειαν ὧν ἔπραξεν, ἄλλου δ'εἰς αὐτὸν ἁμαρτόντος εἰς

---

[1]) Demosthen. XXIII, § 60.

[2]) De tetralogia secunda haec verba facit Blassius (Die att. Beredsamk. I [2], p 162): „Der hier vorliegende Fall nun wäre nach heutiger Auffassung höchstens fahrlässige Tötung ..... Anders bei dem antiken Redner, welcher einen unschuldigen Urheber nicht kennt“; et (p. 173) „der Begriff von milderndem Umstand ist rechtlich nicht vorhanden“.

ἀκουσίους αἰτίας ἦλθεν[1]). 4 *τοῦ δὲ παιδὸς ὑπὸ τὴν τοῦ ἀκοντίου φορὰν ὑποδραμόντος καὶ τὸ σῶμα προστήσαντος ὁ μὲν διεκωλύθη τοῦ σκοποῦ τυχεῖν, ὁ δὲ ὑπὸ τὸ ἀκόντιον ὑπελθὼν ἐβλήθη, καὶ τὴν αἰτίαν οὐχ ἡμετέραν οὖσαν προσέβαλεν ἡμῖν.* Nam si patronus iudicibus persuadere in animum induxisset filium nulla temeritatis suspicione teneri, hac re illum reapse caedem eamque involuntariam commisisse concessurus fuerit, sed, ut supra vidimus, defensor nihil antiquius habuit, quam ut iuvenem neque voluntariam neque involuntariam caedem patrasse sophisticis artibus demonstraret (*Bβ* 9). Atque aliud firmissimum argumentum habeo; Herrlichii sententia si quam veritatis speciem prae se ferret, ut temeritatem adulescentulo tribuendam esse demonstraretur, imprimis necessarium erat, loci naturam, quo caedes erat commissa, accuratius iudicibus explanari, ut cui culpa impertienda esset integre disceptare possent. Haec autem res strictim tantummodo et quasi in transcursu tangitur his verbis: *Bβ* 4 *εἰ μὲν γὰρ τὸ ἀκόντιον ἔξω τῶν ὅρων τῆς αὐτοῦ πορείας ἐπὶ τὸν παῖδα ἐξενεχθὲν ἔτρωσεν αὐτόν, οὐδεὶς ἡμῖν λόγος ὑπελείπετο μὴ φονεὺς εἶναι.* Testimoniis allatis huius vocis veritas et integritas non firmatur. Praeterea si re vera is, qui neglegentia caedem patravit, maiore poena adfectus esset, quidni paedotribae maximam caedis partem imponendam esse patronus summo studio contenderit, quod eius temeritate puer ex iactantium ordine praecurrisset, ut illius iussu telum adportaret, dum alter iuvenis iaculum emitteret: *Bγ* 6 *ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ καλούμενος ὑπὸ τοῦ παιδοτρίβου*[2]). Sed quamquam accusator ipse illud gravissimum argumentum profert, quo

[1]) In hoc loco omnes fere viri docti offenderunt. Ignatius monet (l. c. p. 13) haec verba, si ita interpunguntur, prorsus discrepare ab eis, quae dicit adversarius. Is enim contendit defensorem negare utrumque et filium icisse (getroffen habe) puerum et interfecisse: *Bγ* 5 *οὗτος, ὃς μήτε βαλεῖν μήτε ἀποκτεῖναί φησι τὸ μειράκιον*, itemque *γ* 6 *μᾶλλον δὲ ἑκὼν οὔτ' ἔβαλεν οὔτ' ἀπέκτεινεν.* Accusator igitur reum et icisse et interfecisse demonstrat; quam ob rem Blassius (Rhein. Mus. 27, p. 101) proposuit lectionem: *ἔβαλε μὲν οὐδένα οὐδ' ἀπέκτεινε.* Mutationem distinctionis Ignatius adhibet nullis litteris laesis: *ἔβαλε μὲν οὔκ, ἀπέκτεινε δὲ οὐδένα.* Equidem codicum lectionem esse servandam censeo; nam et accusatoris et defensoris ratiocinandi vis tantummodo nititur discrimine verborum *βάλλειν* et *ἀποκτείνειν.* Si id memoria tenemus, facile est intellectu, quo modo locus interpretandus sit; defensor enim accurate inter notiones *βάλλειν* et *ἀποκτείνειν* distinxerat: *βάλλειν* de teli ictu dicit(=werfen). Accusator autem utramque notionem permiscens *βάλλειν* sub eadem fere notione atque *ἀποκτείνειν* usurpat(=treffen, verwunden), ut suo iure dicere potuerit: *Bγ* 7 *ἀλλὰ τίς ὁ βαλών ἐστιν*; verbum autem *βάλλειν* absolute usurpatum apud Homerum semper vulnerandi notionem habet, cf. Homer. ed. Faesi ad Od. IX, 55; Lehrs, de Aristarchi stud. hom. (ed. III) p. 51. Herodot. I, 43.

[2]) Occasione oblata locum accuratius exquirere licet, cui interpretando viri docti usque frustra operam dederunt. Scriptum invenimus: *Bγ* 6 *ὁ μὲν γὰρ ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ καλούμενος ὑπὸ τοῦ παιδοτρίβου ὃς ὑπεδέχετο τοῖς ἀκοντίζουσι τὰ ἀκόντια ἀναιρεῖσθαι, διὰ τὴν τοῦ βαλόντος ἀκολασίαν πολεμίῳ τῷ τούτου βέλει περιπεσών, οὐδὲν εἰς οὐδέν' ἁμαρτών, ἀθλίως ἀπέθανεν. ὁ δὲ περὶ τὸν τῆς ἀναιρέσεως καιρὸν πλημμελήσας οὐ τοῦ σκοποῦ τυχεῖν ἐκωλύθη.* Frankius et Blassius infinitivum *ἀναιρεῖσθαι* delent, sed unde verbum provenerit non apparet, neque etiam in antithesi vocabulum *ἀναιρέσεως* recte intellegi potest, si infinitivus in priore enuntiatione deest. Maetznerus quidem verba accipit de homine, qui tela colligendi curam suscipere solet. Num putabimus paedotribam hoc munere functum esse? C. Fr. Hermannus (Lehrb. d. gr. Priv. Altert. § 36 Adn. 20) pro *παιδοτρίβου* coniecit *παιδαγωγοῦ*; obstat autem huic coniecturae locus tetralogiae *δ* 4, qui huic enuntiato respondet: *εἰ μὲν ὑπὸ τοῦ παιδοτρίβου καλούμενος διέτρεχεν, ὁ παιδοτρίβης ἂν ἀποκτείνας αὐτὸν εἴη.* Quam ob rem Starkius, qui Hermanni librum novis additamentis adiectis edidit, verba *ὃς .... ἀναιρεῖσθαι* non ad paedotribam sed ad puerum necatum refert. Neque vero antea de hoc pueri negotio quicquam commemoratum est, neque verba sequentia *ὁ δὲ περὶ τὸν τῆς ἀναιρέσεως καιρὸν πλημμελήσας* aptum sensum praebent. Nam illis verbis tela suscepta esse exprimitur, cum puer iaciebat; verbis autem *ὃς ὑπεδέχετο* ... mandatum nullum contineatur. Jernstedtius igitur textum in codicibus traditum laesit, quod totam periodum *ὃς ... ἀναιρεῖσθαι* delet, praeterea verba *τῆς ἀναιρέσεως* e contextu eiecit. Qua de ratione critica copiosius disserere longum est. Rectius cognovit Ignatius (l. c. p. 66) verbum *ὑπεδέχετο* parum apte esse dictum. Quam ob rem lectio, quam codices praebent, est mutanda, quod a

puer plane temeritatis suspicione liberabatur, tamen defensor id silentio fere praetermittit atque obiter tantum tangit: *Bδ* 4 *εἰ μὲν ὑπὸ παιδοτρίβου καλούμενος διέτρεχεν, ὁ παιδοτρίβης ἂν ἀποκτείνας αὐτὸν εἴη;* quin etiam iudicibus hanc conditionem fert, ut eligant, utrum paedotribam an necatum ipsum caedis culpa teneri malint sic pergens: *εἰ δ' ὑφ' ἑαυτοῦ πεισθεὶς ὑπῆλθεν, αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ διέφθαρται.* Miram sapientiam et ratiocinandi vim!

Sed ad Herrlichii opinionem diiudicandam redeamus. Id enim tenendum est illum virum doctum eos, qui caedis non voluntariae condemnati sunt, per annum patria carere iussos neque horum bona publicata esse contendisse (l. c. p. 21). Cum autem in tanta orationum copia, quas in iudiciis Atticis olim habitas aetas tulit, nullum invenitur grammaticorum testimonium, quo certa ratione evincatur apud Athenienses poenam caedis involuntariae minui potuisse, ego ut credam non facile a me impetrabo eum, qui sine temeritate involuntarie interfecerit, minore poena esse adfectum quam cui neglegentia crimini vertitur. Nam quod solum video mihi obici posse percussori veniam datam esse, si occisus ante mortem aut eius cognati, quibus fas erat interfectorem in ius vocare, illi factum ignoverant, ad nostram quaestionem non pertinet[1]). Sin autem percussor a cognatis accusatus ipse se involuntarie interfecisse confessus erat, poenam constitutam necessario suscepit et in exilium abiit, quod dei inferi erant expiandi[2]). Sed cognatis mortui ex legibus Atticis permissum erat, priusquam exulationis tempus praeterierat, reo ignoscere, ut illi in patriam redire licitum esset[3]). Videmus igitur hoc quoque modo Herrlichii opinionem abiciendam esse. Iam una, ut mihi quidem videtur, restat via, qua ex his angustiis Herrlichius evadere possit. Ex orationibus enim nobis servatis nihil colligi potest, quo poenam caedis non voluntariae per annum fuisse exulationem pro certo constituamus[4]). Nostrum igitur iudicium de hac re aliqua ex parte pendet e grammaticorum testimoniis, quae sine dubio e vetustis et optimis fontibus fluxerunt[5]). Cum vero illi grammatici non modo Atheniensium institutionum sed etiam aliorum populorum rationem habere soliti sint, eorum auctoritatem minimam esse et adeo nullam nonnulli existimaverunt. Itaque Platonis potissimum leges secuti (p. 867 C, D; 871 D) saepenumero in certis facinorum generibus exulationem per maius temporis spatium fuisse arbitrati sunt. Si Herrlichius quoque horum iudicium accepisset, opinio eius aliquam probabilitatis speciem prae se ferret. Neque defuerunt, qui etiam ex secunda tetralogia esse concludendum sibi persuaserint, grammaticorum testimonium reiciendum esse, quod verba quibus pater filii sortem lamentatur nimiae gravitatis et maioris ponderis sint, quam ut eis parva poena significetur: *Bβ* 10 *ἐπί τε γὰρ τῇ τούτου διαφθορᾷ ἀβίωτον τὸ λειπόμενον τοῦ βίου διάξω, ἐπί τε τῇ ἐμαυτοῦ ἀπαιδίᾳ ζῶν ἔτι κατορυχθήσομαι.* Cui argumento non multum tribui potest. Nam haec

---

sermone Graeco recedit; nam verbum *ὑποδέχεσθαι* non raro invenitur sub notione pollicendi, sed apud scriptores vetustiores semper cum futuri infinitivo coniunctum, cf. Thucyd. II, 29; Herod. I, 24; IV, 133; 137; VI, 11; VIII, 102. Ignatius proponit *οὗ ὑπήρχετο*: „puer eo temporis puncto, quo coepta sunt iaculatoribus iacula extolli, cum vocaretur a paedotriba" et qs. Sed vocabulum *οὗ* nusquam, quod quidem sciam, sub hac notione deprehenditur. Multo probabilior est Bohlmanni coniectura (Antiphontea, Vratislav. 1882, p. 17), qui scripsit *ὡς ἐνεδέχετο*: „eo tempore vocatus a paedotriba, quo licebat adulescentibus tela colligere". Cum vero accusator hanc vocem nullis testimoniis confirmatur, patronus rationem non habet, ut omnibus locis vana et inanis argumentatio perspiciatur.

[1]) Philippi, Der Areopag u. die Epheten, p. 115; 147.

[2]) Schoemann, Antiquitt. p. 296.

[3]) Schoemann, Antiquitt. p. 298 Adn. 11.

[4]) Hermann, Griech. Staatsaltert. § 104, 11.

[5]) Hermann, Disput. de vestig. p. 51.

verba ab oratore in epilogo esse facta imprimis considerandum est, in quo iudicum animi ad misericordiam permoverentur et supplicationibus ad clementiam ita deflecterentur, ut semper calamitas idoneis vocibus amplificaretur. Huc accedit, quod omnino tetralogiarum auctor multa grandius et exquisitius poetarum more exposuit, qua propter illa verba nihil valent. Fortasse ex illis verbis et ex eo, quod accusator in oratiunculis non significat, quamdiu reus in exilium abire debeat, auctorem omnino ignorasse exulationis tempus omnibus, qui caedem involuntariam patraverant, idem et breve fuisse concludi potest.

Iam transeamus ad tertiam tetralogiam perscrutandam, de qua adhuc multa et varia pronuntiata sunt iudicia, ut diligentissime nos examinare necessarium sit atque eos errores, qui inde sunt secuti, quod male a multis intellecta est, detegere ac refellere. Manifestus autem rerum nexus et decursus hicce est: Senex ab iuvene ita est verberatus, ut medico cuidam illum tradere propinqui statuerent. Neque tamen medici cura effecit, ut senex mortem effugeret. Itaque illius cognati iuvenem homicidii arcessunt, qui ita se defendit, ut non se mortis auctorem esse contendat sed medicum, qui vulnus senis perverse curaverit. Iuvenis autem in iudicio *ἐν Ἀρειοπάγῳ* defensionem habere coactus est.

Atque ex prima quidem oratiuncula cognatos iuvenem postulasse cernitur, quod ille consilio caedem patrasset et senex statim mortuus esset: *Γα* 6 *εἰ μὲν γὰρ ἄκων ἀπέκτεινε τὸν ἄνδρα, ἄξιος ἂν ἦν συγγνώμης τυχεῖν τινός· ὕβρει δὲ καὶ ἀκολασίᾳ παροινῶν εἰς ἄνδρα πρεσβύτην, τύπτων τε καὶ πνίγων ἕως τῆς ψυχῆς ἀπεστέρησεν αὐτόν, ὡς μὲν ἀποκτείνας τοῦ φόνου τοῖς ἐπιτιμίοις ἔνοχός ἐστιν.* Ei percussori, qui homicidium inconsulto fecerat, interfecti propinquos ignoscere potuisse iam supra commemoravimus, nisi mortuus ipse ante mortem poenam postulaverat. Ex verbis autem quae sequuntur lege Attica constitutum esse eum, qui consulto alium occiderit, numquam veniam nancisci potuisse facile quispiam concludat[1]). Sed hanc quoque poenam remissam esse, cui interfectus ante mortem in gratiam redierit, Philippius[2]) disertis verbis demonstravit. Mirum igitur est, quod nullo loco continetur mentio, num mortuus iam ipse a cognatis petierit, ut percussor reus fieret, cum senem re vera compluribus diebus post rixam e vita discessisse manifestum sit. Verum haec in transcursu, quae postea repetam. Accusatorem autem criminis veritatem testibus adhibitis confirmasse apparere videtur ex verbis, quae orator facit: *Γα* 7 *τῶν δὲ μαρτύρων ἀκηκόατε, οἳ παρῆσαν παροινοῦντι αὐτῷ.* Neque adeo nos capit admiratio, quod testimonium non ad verbum adfertur, cum hae voces plerumque iam ante actionem iudicialem ederentur et ad acta reponerentur[3]); praeterea, quaenam capita accusationis fuerint, etiamsi ex oratione ipsa non satis patescunt, tenendum est in iudicio Attico, antequam litigatoribus dicendi potestas fieret, et accusatoris et rei libellum (*τὰς ἀντιγραφάς*) perlectum esse[4]); itaque quid ageretur, iudicibus in universum notum erat. Quo testimonio iam antea prolato nisus accusator iuvenem caedis voluntariae incusat et ab iudicibus petit, ut supplicio adficeretur (*Γα* 6). Potueruntne autem testes optima fide illa verba facere ab iuvene senem verberatum strangulatumque esse, donec animus eum deseruisset? Potueruntne iure meritoque con-

---

[1]) *Γα* 6 *ὡς δὲ συγχέων ἅπαντα τῶν γεραιοτέρων τὰ νόμιμα, οὐδενὸς ἁμαρτεῖν, οἷς οἱ τοιοῦτοι κολάζονται, δίκαιός ἐστιν.*

[2]) Der Areopag u. die Epheten, p. 146.

[3]) Meier u. Schömann, Der att. Prozess ed. Lipsius p. 883.

[4]) Der att. Prozess ed. Lipsius, p. 919.

firmare iuvenem iniusta nece facta senem occidisse? In posterioribus enim oratiunculis non modo senem compluribus diebus post mortuum esse[1]), sed etiam aliis testimoniis allatis senem rixam exorsum esse ostenditur, ut de caede consilio commissa omnino non sit cogitandum[2]). Maxima autem admiratio movebitur, cum contemplati erimus in causis publicis non minus actorem et reum solemni iure iurando adactos esse quam testes utrimque productos[3]). Si vero quis falsum testimonium edidisse coarguebatur, facile *γραφῆς ψευδομαρτυριῶν* accusari poterat. Quae cum ita sese habeant, testes illud quoque testimonium fide confirmatum edidisse credendum nobis est; aliter enim fieri non poterat, ut *ἄρχων βασιλεύς*, cum cognati iuvenem in ius vocarent, accusationem acciperet, et causa in iudicio *ἐν Ἀρειοπάγῳ* ageretur. Verum hanc sententiam dum perpendimus, novae undique succrescunt difficultates. In secunda enim oratiuncula reus criminationes refutare studet et senem rixam exorsum esse contendit: *Γβ* 2 *τὸν γὰρ ἄρξαντα τῆς πληγῆς, εἰ μὲν σιδήρῳ ἢ λίθῳ ἢ ξύλῳ ἠμυνάμην αὐτόν, ἠδίκουν μὲν οὐδ' οὕτως;* quae non tam exponuntur quam strictim tantum modo proferuntur nullis testimoniis adhibitis, nullis verborum probationibus allatis. Quidni hoc loco testimoniis defensio fulciatur? Vix veri simile est iudices iuvenis verbis fidem tributuros fuisse, praesertim cum testes accusatoris iurasse iuvenem consulto interfecisse supra viderimus. Quidni reus confestim demonstret accusatorem ad fallacias progressum esse, quod ille ab iuvene senem protinus necatum esse disertis verbis confirmaverit? Sed cum senex paucis diebus post e vita excesserit, quod medicus, cuius curae cognati illum tradiderant, eum perverse tractavit (*Γβ* 4), se omnino non interfecisse reus pro certo adfirmat: *Γβ* 3 *ἐγὼ δὲ καὶ δεύτερον καὶ τρίτον οὐκ ἀποκτεῖναί φημι* et *Γβ* 6 *ἐγὼ μὲν οὐδενὶ τρόπῳ φονεὺς αὐτοῦ εἰμί.* Quamvis haec defensionis capita a reo dilucide explicentur, quibus nihil manifestius dici potest, tamen Philippius aliter sentire non dubitavit obtinens reum ipsum fateri se inconsulto (*ἄκων*) necasse[4]). Sed ne huic quidem opinioni adstipulari possum, cum Philippius auctoris verba argutius quam verius interpretatus esse aliaque in eis invenisse videatur ac significare voluerit tetralogiae auctor. Cuius sententiae confirmandae causa a Philippio nullus locus adfertur, ex quo hoc iudicium appareat. Si enim reus intentissima cura id egisset, ut se caedem non voluntariam commisisse demonstraret[5]), satis fuisset iudicibus testimoniis exponere senem rixam incitasse; sed reus porro pergit asseverans senem omnino non verberibus sed medici mala cura esse interfectum[6]); neque uno tantum loco hoc iactatur, sed identidem et per omnes oratiunculas compluribus modis variatum medico infertur[7]). Sin autem reum demonstrasse ponimus se omnino non necasse sed medico criminationem imponendam esse, penitius perspicere possumus, quae argumenta et a reo et ab accusatore in *προδικασίαις* iudicibus exposita sint. Nam cum

---

[1]) *Γβ* 4 *νῦν δὲ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον μοχθηρῷ ἰατρῷ ἐπιτρεφθεὶς διὰ τὴν τοῦ ἰατροῦ μοχθηρίαν καὶ οὐ τὰς πληγὰς ἀπέθανε.*

[2]) *Γδ* 3 *οἱ γὰρ μάρτυρες τοῦτόν* (sc. senem) *φασιν ἄρξαι τῆς πληγῆς.*

[3]) Similiter iudicavit nuper Schoemannus, postquam sententiam antea de iure iurando prolatam (Att. Prozess p. 675) reiecit. (Gr. Staatsaltert. I, p. 514 Adn. 1.) cf. Philippi, l. c. p. 87.

[4]) Der Areopag u. die Epheten, p. 26: Der Angeklagte ist ja eingestandenermaſsen selbst der Thäter; nur ob die Absicht zu töten vorhanden war, ist Gegenstand des Streites. cf. p. 61.

[5]) Philippi, l. c. p. 27: So sieht man, daſs Rede und Gegenrede sich in dem Streite bewegt, ob die *πρόνοια* vorhanden war.

[6]) *Γβ* 4 *προλεγόντων γὰρ αὐτῷ τῶν ἄλλων ἰατρῶν, εἰ ταύτην τὴν θεραπείαν θεραπεύσοιτο, ὅτι ἰάσιμος ἂν διαφθαρήσοιτο.*

[7]) cf. *Γβ* 3; 6; *δ* 8 *οὐ γὰρ ὑπὸ τῶν πληγῶν ἀλλ' ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ ὁ ἀνὴρ ἀπέθανεν.* *δ* 11.

accusator reum consulto necasse obtineat, reus se caedis expertem esse declarat ad confirmandam vocem nihil adiciens. Quod in oratiuncula secunda (§ 5; 6) reus defensionis caput aliis argumentis stabilire conatus sit, quis est qui miretur, sed semper ad verba redit, quae antea pronuntiaverit, se caedis culpa non teneri: *Γβ* 6 *οὐδενὶ τρόπῳ φονεὺς αὐτοῦ εἰμί?* (cf. *β* 8).

Disserendum nobis est de oratiuncula tertia, ex qua facile cognoscimus, quanto studio accusator contendat, ut rei argumenta perperam interpretando detorqueantur et fuco adspergantur. Reus enim dixerat, ut supra pluribus exposuimus, sibi nullam caedis culpam imponendam esse, quod senex rixam exorsus esset atque medicus falsa cura senem tractavisset (cf. *β* 2 et 3). Accusatorem in decipiendi studium delabi intellegemus, cum verba consideraverimus, quibus defensionis caput repetitur: *Γγ* 2 *εἶπε δὲ πρῶτον μέν, εἰ καὶ ἐκ τῶν πληγῶν ἀπέθανεν ὁ ἀνήρ, ὡς οὐκ ἀπέκτεινεν αὐτόν.* Nonne auctor ad id pervenisse videtur, quoad progredi potuit nebulonum vaniloquentia? Ut autem adversarii deverticula et flexiones refellat, puerilibus argumentis declarat fieri non posse, ut senex primus impetum fecerit aetate provectior iuvene: *Γγ* 2 *μάθετε δὴ πρῶτον μὲν ὅτι ἄρξαι καὶ παροινεῖν τοὺς νεωτέρους τῶν πρεσβυτέρων εἰκότερόν ἐστι.* Quid! nonne iure meritoque admiratio nos capit, quod accusator, ut verba confirmet, non adfert testimonia, quae in oratiuncula prima exstant (*Γα* 6)? Praeterea haec argumenta e Tisiae et Coracis arte rhetorica hausta esse vidimus, quae hoc loco sine ulla probabilitatis specie repetuntur. Parum enim est credibile iudices quosdam splendore verborum illorum, quae ad vanitatem magis quam ad veritatem accedunt, obstupefactos et quasi obcaecatos non perspexisse, quam vehementer ea, quae accusator professus est, a veritate recedant. Debemusne credere Antiphontem, qui tam peritus rerum forensium, tam gnarus causae agendae erat, haec infirma argumenta arripuisse, ut gloriam sibi compararet? Possumusne suspicari oratorem, qui alias ea, quae occulta sunt, quaerendo sagaciter investigare solitus est, tam temere inquisivisse? Sed accusator amplius pergit, ut reum consulto occidisse demonstret: *Γγ* 4 *εἰ γὰρ αἱ χεῖρες ἃ διανοούμεθα ἑκάστῳ ἡμῶν ὑπουργοῦσιν, ὁ μὲν πατάξας καὶ μὴ ἀποκτείνας τῆς πληγῆς βουλευτὴς ἐγένετο, ὁ δὲ θανασίμως τύπτων τοῦ θανάτου.* Statim autem sententiam in aliam formam redigit et reum fecisse profitetur, quod in animo habuerit: *ὁ δὲ μείζω ὧν ἤθελε πράξας τῇ ἑαυτοῦ ἀτυχίᾳ ὃν οὐκ ἤθελεν ἀπέκτεινεν.* Quid! nonne his verbis accusatorem concedere manifestum est reum caedem involuntariam commisisse? At tamen haec vox prorsus contraria est testimoniis, quae in prima oratiuncula (*α* 6) accusator protulit, testes adfirmaverunt. Qua re commotus accusator subito ipse confitetur testes falsum testimonium edidisse, se falsam accusationem instituisse? Quibus in verbis interpretandis, quamquam Philippius summam curam impendit, tamen eum non omnia recte intellexisse puto neque illis, ut tantam tribuam ad persuadendum vim, quantam vir ille doctissimus eis inesse vult, a me impetrare possum. Philippius enim ut hanc contradictionem infringeret, illam vocem pro superlatione et traiectione rhetorica habendam esse disertis verbis contendit. Quodsi artificium illud rhetoricum quo efficitur, ut perspicuitas relationis obscuretur, e generali sententiarum nexu removemus, hanc extare argumentationem putat: orator voluit dicere reum supplicio adficiendum esse, etiamsi interficere non in animum induxisset[1]). Neque vero videre possum, quo loco hanc sententiam quae a Philippio textui vindicatur dilucide expo-

---

1) Philippi. l. c. p. 25: Die letzten (Sätze betonen) im offenbaren Gegensatze nur den Erfolg der Handlung, für den der Handelnde, auch wenn er nicht deutlich der Absicht sich bewufst gewesen, die Verantwortung tragen müsse.

sitam inveniamus; nam orator reum sine consilio interfecisse non semel sed bis explicat: *Γγ* 4 *ὁ δὲ μείζω ὧν ἤθελε πράξας*, deinde *ὃν οὐκ ἤθελεν ἀπέκτεινεν.* Sed ponamus Philippii iudicium rectum esse; quid lucramur? Potuitne accusator, nisi ulla mente erat vacuus, hoc modo defensioni respondere, in qua reus hanc legem commemoraverat (*Γβ* 5/6), quae iubet eum tantum homicidam esse, qui alterius vitae insidiatus sit[1])? Quo modo cunque illorum verborum sententiam vertimus, ea contraria parumque concinentia esse verbis in oratiuncula prima (§ 6) prolatis, quis est quin primo obtutu videat? Praeterea si re vera, ut Philippius adfirmat, ambigitur, qua voluntate reus caedem patraverit, num consilio an inconsulto accusatori omnia fuisse vitanda est tenendum, quibus reum involuntarie homicidium fecisse confitebatur[2]). Philippium autem in manifestum errorem incidisse etiam Blassius[3]) sensit, qui, quanta calliditate accusator obtineat (*Γγ* 4) reum consulto quidem verberasse involuntarie autem interfecisse, accuratius exponere plane omisit. Quo magis offendere debemus in eo, quod in epilogo (*Γγ* 7) iudices ab accusatore monentur, ut reum capitis damnarent. Neque vero ex legibus Atticis is, qui inconsulto necaverat, morte multari potuit.

Postremum accusator rei argumentum, quo demonstrare studet (*Γβ* 4) medicum re vera esse interfectorem, redarguere conatur. Legem enim exstare monet, ut medicus semper caedis culpa liberetur (*Γγ* 5); quam legem in Attici iuris codice his verbis expressam fuisse comparata simili apud Platonem formula concedere non possum. Plato (de leg. IX, 865 A) enim medicum non condemnari asseverat, nisi consulto aegrotum mala cura necaverit. Quodsi accusator in hac oratiuncula vocabulum *ἄκων* adicere omisit, hoc tantummodo fieri potuit, ut defensori in oratiuncula quarta ansa esset omnibus modis ostendere accusatoris sententiam claudicare ac fucatam legem esse citatam. Nihil eiusmodi invenitur, sed ieiunis verbis patronus iterum adfirmat medicum necasse neque ullam accusatoris verborum rationem habet (*Γδ* 8).

Sed ad oratiunculam quartam pergamus illustrandam. Auctor reum urbe excessisse adversariorum machinationibus perterritum atque illam orationem ab amico quodam haberi fingit· Num lege Attica permissum fuerit post rei fugam patronum quendam in rei ipsius locum substitui et iudices altera oratione perorata, quae reo concessa erat, sententias pronuntiavisse ex mea quidem opinione non liquet, cum a veteribus nihil memoriae proditum sit. Vix autem veri simile videtur; Athenis enim lex erat, ut unusquisque ipse in iudicio pro se diceret, neque causidici erant, qui pro aliis causam agerent[4]); etsi synegoros qui dicuntur adhibere licebat et in accusando et in defendendo, ut illi saepissime re vera partes agerent et oratio synegori multo

---

[1]) *Γβ* 5 *τὸν γὰρ ἐπιβουλεύσαντα κελεύει (ὁ νόμος) φονέα εἶναι,* quae lex cum Atticis in universum conspirare videtur, cf. Andoc. de myst. § 94 *οὗτος ὁ νόμος ... ἐστι ... τὸν βουλεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον.*

[2]) Mirum in modum Ignatius (l. c. p. 88) de tertia tetralogia iudicavit, qui ut controversiam, de qua supra copiosius disseruimus, tolleret, ex hac tetralogia colligi posse sibi visus est inter *φόνον ἑκούσιον ἐκ προνοίας* et *φόνον ἑκούσιον ἄνευ προνοίας* apud Athenienses magnum discrimen intercessisse, quamvis utriusque caedis poenam supplicium fuisse constitutum profiteatur. Quae opinio mihi quidem temere in medium prolata videtur, quippe a qua cum lex in lapide (C. I. A. 61) incisa tum locus apud Demosthenem servatus (or. XXI, 43 *οἱ φονικοὶ νόμοι) τοὺς μὲν ἐκ προνοίας ἀποκτιννύντας θανάτῳ καὶ ἀειφυγίᾳ καὶ δημεύσει τῶν ὑπαρχόντων ζημιοῦσι, τοὺς δ' ἀκουσίως αἰδέσεως καὶ φιλανθρωπίας πολλῆς ἠξίωσαν,* cf. Aristot. Eth. magn. I, 6) magnopere discrepat. Optime Herrlichius (l. c. p. 7 sq.) de hac re egit, cf. Philippi, Der Areopag u. die Epheten, p. 23 sq.

[3]) Die att. Beredsamk. III, 2 p. 328; I^2, p. 167 Adn. 5.

[4]) Schoemann, Antiquitt. p. 282.

copiosior esset quam litigatorum, tamen litigantes semper iudicio interfuisse dubitandum non est. Quam ob rem si reus post priorem orationem fugae se mandavit causa diffisus negata amici cuiusdam defensione in contumaciam illum condemnatum esse persuasum habeo. Si enim lege aliter fuisset constitutum, unusquisque caedis in ius vocatus clam urbe relicta causidico cuidam causam suam agendam sine dubio tradidisset et iudicum suffragiis demum absolutus rediisset.

Qua re commotus iuvenis fugit? Insidias et malas artes, quibus accusatores iudices in partes suas traherent, reum pertimuisse patronus in exordio orationis exponit (*Γδ* 1). Talia facta esse saeculo quarto ex Demosthenis et Aeschinis orationibus[1]) cerni potest; Periclis autem aetate haec veri similia non videntur. Praeterea accedit, quod in quarta oratiuncula secundae orationis argumenta (*Γβ* 1; 2) novis testimoniis allatis confirmantur: *Γδ* 2 *οἱ γὰρ μάρτυρες τοῦτόν φασιν ἄρξαι τῆς πληγῆς,* e quibus iuvenis supplicio adfici non potuisset, praesertim cum accusator ipse, ut supra vidimus, iuvenem inconsulto caedem patrasse professus esset ideoque nihil amplius quam exilium reo esset timendum. Neque nunc quidem defensor, cum reum ab impetu senis se defendere coactum esse constat, illam legem profert, qua iuvenis fuerit absolvendus[2]), quamquam similis lex citatur: *Γδ* 7 *πανταχοῦ μεγάλα ἐπιτίμια ἐπίκειται τῷ ἄρξαντι, τῷ δὲ ἀμυνομένῳ οὐδαμοῦ οὐδὲν ἐπιτίμιον γέγραπται,* quae ad *νόμον αἰκίας* tantum pertinet, quod notio interficiendi nusquam deprehenditur. Quid! defensor nonne disertis verbis obtinere potuit cognatos ipsos huic medico senem curandum tradidisse, ut ille vulneratum perimeret atque ipsi eius re familiari potirentur? Haec argumenta, quae tam manifesta, tam probabilia erant, nullo verbo respiciuntur; at tamen sunt, qui Antiphontem has tetralogias composuisse putent, ut argumenta *ἐξ εἰκότων* deducta discipuli ediscerent.

Quocunque oculos nostros convertimus, undique inanem argumentorum speciem et sententiarum infirmitatem cognoscere possumus. Atque etiam Blassius[3]) huius tetralogiae ratiocinandi vim et argumentationem pessime contextam videtur sensisse. Multum autem abest, ut falsarium parvo ingenio praeditum has oratiunculas fecisse putet, ut potius omnes tetralogiae huius salebras ex legibus imperfectis et ordine iudiciali Attico inique constituto ortas esse persuasum habeat. Ad causas, e quibus tetralogiarum auctorem rerum forensium non satis gnarum fuisse apparet, praeterea accedit, quod ille iudices semel compellatione significat, quae in omnibus ex antiquitate nobis traditis orationibus iudicialibus numquam reperitur; *Βα* 1 enim exhibet verba *ὦ ἄνδρες πολῖται.* Quae adlocutionis forma aliquid insoliti habet, quod usitatae formae sunt: *ὦ ἄνδρες* sive *ὦ ἄνδρες δικασταί;* in orationibus autem apud Areopagitas habitis deprehenditur: *ὦ βουλή*[4]), qua propter hanc formam virum tantum adhibere potuisse existimo, qui iudicii Attici institutiones prorsus ignoraverit. In orationibus epideicticis alias easque liberas formas esse usurpatas constat, id quod ad causas publicas non pertinet[5]).

---

1) Demosthen. XIX, 1. Aeschin. in Ctesiph. 1.

2) *ἐάν τις ἀμυνόμενος ἄρχοντα χειρῶν ἀδίκων κτείνῃ, καθαρὸς ἔστω,* cf. Demosthen. XXIII, 60; Philippi, Der Areopag u. die Epheten, p. 56. Locus a Blassio adhibitus (Die att. Beredsamk. I², p. 168 Adn. 1), ut hanc legem ita interpretandam non esse demonstraret, a nostra quaestione abhorret, nam in illa oratione Demosthenica (or. XXI, 71; 75) notio *ἄρχειν χειρῶν ἀδίκων* deest.

3) Die att. Beredsamk. I², p. 172.

4) Philippi, Der Areopag u. die Epheten, p. 32; 323.

5) Demosthen. ed. Rehdantz p. 159.

Nec aliter se habet, quod in *Γδ* 11 rei cognati adpellantur verbis *τοῖς ἔγγιστα*; quae superlativi forma in sermone Attico notionem *πλησίον* habet (cf. Demosthen. in Euerg. et Mnesib. 72, Lobeck ad Phryn. p. 296). Cognati autem significantur verbis *συγγενεῖς* (cf. Demosth. c. Eubulid. 22) atque ei, quibus caedis ultio erat concessa, *ἀνεψιοὶ* sive *ἀνεψιαδοῖ* (cf. Pollux, Onom. VIII, 118; Philippi, l. c. p. 72 sq.).

Omnibus circumspectis et consideratis tetralogiarum auctorem nullam rerum forensium usus et exercitationis cognitionem habuisse pro certo adfirmare non dubitem. Fortasse quispiam dixerit tetralogias nobis servatas orationum genuinarum epitomas esse; sed ne id quidem probabile videtur; nam si recte sese haberet, tractio rerum et criminum refutatio brevissima et in angustum esset coacta, tamen ita comparata, ut sententiae si non arcte inter se connexae, at recto ordine procederent. In illis autem omnia obscura, perturbata, male contexta parumque inter se concinentia esse cognovimus, ut auctorem neque animi acumine neque eloquentia praestitisse iure meritoque obtinere possimus.

Druck von W. Pormetter in Berlin.